Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Dissertatio Jvridica De Philavtia

Vitembergae: Ex Officina Hakiana, 1747

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1795370467

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1795370467/phys_0001
DFG

K. K. — 2 (69.)

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1795370467/phys_0002
DFG

1, Wachau de sollennitatibus et effectibus inventarii haereditatis.
2, Romanus de juramento testium.
3, Kästner de venia aetatis.
4, Heineccius de narcitus ob mercium illicitarum vecturam commissis.
5. Rivinus de privato in principem imperii usurariae pravitatis reo.
6. Gundling de feudis vexilli. vulgo feudis imperii regalibus. —
7. Gundling de jure oppignerati territorii secundum jus gentium et teutonicum.
8. Ludovici de domino vasalli vasallo.
9. Harpprecht observationes juridicae miscellae.
10. Roesener de bonis domanialibus.
11. Eckhols de juribus filii familias.
12 Werner de pactis dotalibus sub formula: Huth bey Schleyer und Schleyer bey Huth. confectis.
13. Thomasius de fundamentorum definiendi caussas matrimoniales hactenus receptorum insufficientia.
14. Hartmann de incantamentis et veneficiis.
15. Siegel de genuino privilegiorum conceptu.
16. Meis de jure fodinarum.
17. Nerger de venatione principum.
18. Stryck de foro principum et privatorum communi.
19. Müller de invaliditate actuum voluntariae jurisdictionis in feriis divinis celebratorum
20 Schröter de testamento.
21. Dorn. Singularia querelae testamenti inofficiosi capita, tam secundum jus Rom: quam German: ab erroribus doctorum vindicata.
22 Dorn an contra testamentum principum querela inofficiosi locum habeat
23. Leyser de confessione extorta.
24 Leyser de extrajudiciali criminis confessione.
25 W. Leyser de crimine laesae majestatis.
26. Ludovici de deditione personarum noxiarum. —
27 Hilliger de poena pecuniaria in delictis carnis.
28. Thomasius de homicidio linguae.
29. Pestel de homicidio doloso ejusdemq poena.
30. Hildebrand de diversitate lapidum finalium eorumque jure.
31. de Krackewitz. de hominibus propriis ac militibus fuga sibi consulentibus, in quantum illi ad sacram coenam sint admissibiles.

32. Schöpfer de culpa lata tutoris ab haeredibus praestanda.
33. Heineccius de levis notae macula. ad l. 27. C. de inoffic: testam:
34. Burgmann. num funiculi umbilicalis intermissa deligatio infanti recens nato sola mortem afferre queat.
35. Carmon de praesumto ordine mortalitatis commorientium in linea recta
36 Strycx de jure necessitatis
37. Friesen de jure fontium.
38 Wildvogel de eo quod justum est circa dies caniculares.
39 Wildvogel de eo quod pendet seu quod est in suspenso. vom Aufschub.
40. Bechmann de pluribus concurrentibus actionibus seu actionum concursu.
41. Strecker de actione familiae erciscundae.
42 Schoepf de eo quod justum est circa mutationem testamenti, per subsequens matrimonium.
43. Nettelbladt de velo viduarum virginumque.
44. Nettelbladt de vidua nobili Meclenburgica, praecipue de portione viduarum nobilium in Megapoli statutaria.
45 Nettelbladt de dotalitio e legibus et moribus Germanorum speciatim Megapolensium.
46 Heineccius de marito curatore uxoris legitimo.
47. Brunquell de conditione si non nupserit ultimis voluntatibus adjecta
48. Ludovici de vitio reali et personali.
49. Ludovici de intercessione innocentum.
50. Müller de annulo pronubo.
50b. Idem de modo ac usu computationis graduum.
51. Müller de philautia
52. Gundling majorem a feminis quam a viris requiri castitatem.
53. Crell de venditione fructuum cum fundo adhuc cohaerentium
54 Mencken de allodio ejusq separatione a feudo
55. Ludovici collegium juris feudalis. Disput: 1–8.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1795370467/phys_0004
DFG

DISSERTATIO IVRIDICA
DE

PHILAVTIA,

Von

Der Eigen-Liebe,

QVAM
IN ILLVSTRI ACADEMIA SALANA
PRAESIDE

PETRO MÜLLERO

J. V. D. ET PROF. PVBL.
XII. CALENDAS OCTOBR.
PVBLICO EXAMINI SVBJICIT

IOHANNES CHRISTOPHORVS Hammer,

ISLEBIENSIS.

VITEMBERGAE

EX OFFICINA HAKIANA.
MDCCXLVII.

(10)

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn1795370467/phys_0006
DFG

DISSERTATIONIS DE PHILAVTIA

CAPUT I.

IN QVO

NOMEN. QVOT MODIS ACCIPIATVR. QVID SIT; ET CIRCA QVÆ VERSETVR, *REMISSIVE TRACTATVR*

THES. I.

QVod Græci φιλαυτίαν dixere, id Latini vocant amorem sui Horat. *lib. 1. Od. 18.* Augustin. *lib. 14. de civit. Dei c. 28.* Caritatem sui Seneca *lib. 5. de benef. 9.* Dilectionem sui: Augustin. *1. de doctr. Christi 22.* Bernhard. *de amore Dei lib. 3. c. 15.* Dn. Thomasius *Dissert. de Philautia cap. 1.*

THES. II.

Philautia seu *Amor sui* in se & *naturaliter* indifferens neque vitiosus neque virtuosus est; *Moraliter* vero est vel culpabilis, vel laudabilis. Veluti Magnif. D. Schilterus *in manuduct. Philos. moral. ad Jurisprud. c. 5. §. 13.* ait: Amor sui per se non est illicitus, sed imo naturalis & necessarius ad sui conservationem Grot. *de Jure B. & P. 2. 1. 3.* per accidens vero & ex abusu hominis fit illicitus & injustus. Hinc fit, ut vocabulum

φιλαυτία; bifariam, id est, & in bonam & in malam sumi possit partem. Etenim majore ex parte, & a plerisque vocabulum istud in malam partem & pro vitio accipitur. Magirus *in Comment. in Arist. Eth. lib 9. cap. 8.* Nam significat eum amorem, quo quis cupititatibus & affectibus suis nimium indulget circa externa bona: velut sunt *opes, divitiæ, honores, voluptates corporis, quas, qui nimium expetunt, efficiuntur* πλεονέκται *in omnibus potiores partes haberi volunt, & ita iis indulgent, ut pro earum adeptione etiam patiantur se ad quævis flagitia & vitia pertrahi, modo ut suis cupiditatibus & affectibus satisfacere possint.* Similem in modum differit Dn. Thomasius *d. l.* & popularis loquendi consuetudo, prout asserit, neminem virum bonum solet appellare φίλαυτον, sed hoc nomen vulgo pro convitio spargitur in homines improbos, avaros scilicet, ambitiosos, voluptarios, aut sibi per vanitatem placentes, adeo, ut ne sacræ quidem literæ aliter usurpent. 2. *Timot. 3. 2.* Quem amorem *Horat. Od. 18. l. 1.* vocat *cæcum & Sat. 3. vers. 24.* stultum & improbum, & Plato *lib. 5. de Legib.* dicit *esse fontem omnium malorum, quæ hominibus per eam acciderent.* Et hoc vitium committitur judicando, v. g. quando homo ipse de operibus suis majus sibi, quam par est, statuit pretium, sic Cicero de Academicis suis: *Libri quidem exierunt (nisi me communis* φιλαυτία *decipit) ut in tali genere ne apud Græcos quidem simile quicquam.* Talemque Philautiam in fabula *Narcissi* adumbrare voluerunt Poëtæ Georg. Sabin. *interpr. Fab. Ovid. lib. 3.* Alciat. *emblem. 69.* eadem insuper effigie *Simia* indicatur, eo quod huic bestiæ proles sua, quamvis turpissimam habeat, mire tamen formosa videatur Schwalenb. *lib. 6. Aphor. Hierogl. p. 40.* Dn. Thomas. *cit.*

cit. l. c. 5. §. 35. & 36. & hæc φιλαυτία est quasi parens δοκησισοφίας, quæ, si latine vertas, est ex persvasione sapientia, quo vitio laborant, qui, cum pedem vix inlimine posuerint, in meta sibi posuisse videntur; cum vix sapiant supra vulgum & scholæ pulverem, egregie sibi docti ac literati videntur. Crucius *in epist. l. 2. p. 153.* celeberrimus Hildebrandus in δοκησισοφία *satyrico more explosa ibique in not. adject.* THES. III.

Alia vero, in meliori significatione vocabuli, dicitur Philautia, qua quis præ omnibus honestis studium sectatur, ut semetipsum perficiat. Qui hoc modo sunt φίλαυτοι, sui amantes, hi non solum non sunt reprehendendi, sed maxime laudandi: propterea, quod eam partem maxime amant quæ in ipsis præcipua est & præstantissima, quamque merito debent amare & omni studio excolere Magir. *d. l.* Hæc ergo Philautia laudem meretur bonorum virorum, & de his agit Philosophus *in Ethicis l. 9. c. 8.* & cum in utraque partem disputasset; concludit virum bonum maxime sui amantem esse, per rationes, nimirum bonum virum diligere oportere inprimis eum, qui maxime sit amicus, unusquisque autem sibi est amicissimus. Igitur unusquisque seipsum maxime amare debet; Et quod vir bonus excolat præstantissimam sui partem, nempe mentem, eamque omnibus bonis exornare studeat, ut hinc maxime seipsum amet. Mentem autem sive animum præstantissimam esse partem, facile probatur, quia mens obtinet principatum in homine, ipsumque corpus & membra corporis regit atque conservat: atque ideo ab ea homo suam habet denominationem, quemadmodum civitas aut Respublica aliqua denominatur ab ea parte quæ ha-

bet dominium. Ideoque Plato inquit: Non est homo illud ipsum, quod oculis cernitur, sed mens & animus, qui oculis cerni non potest, est ipse homo; plures rationes vid apud Magir. *c. l.* Juris igitur naturalis est, ut quisque seipsum maxime diligat, sibique potius quam alteri bona exoptet D. Schilter *c. l.* Hinc Brocardica: *Charitas incipit seipsa. Proximus egomet mihi.* Cui alia consonant dicteria: *Genu est sura propius. Plus stringit interula, quam tunica.* Et tunicam pallio propiorem dicit Lysitelis Plautinus *Trin. act. scen. ult.* Ut enim pallio proprior hæret corpori tunica; ita ii, quos amamus, certa sunt sorte locati, & ratio remotioris & propinquioris recte est attendenda: Exinde deducitur φιλαυτια natura, in iis enim, quæ sibi sunt viciniora, longe ardentior est, quam in longius se motis: Ac ita in operibus amicitiæ erga alios est dispositus, quod ipsum ingeniose expressit Theocritus in χαριστι, cujus verba Græca ita Latine sunt versa

Quisque sinu dextram tenet, ac sibi curat ut omnes
Cogat opes, segmen minimum nec deteret ulli:
Ast ait: Est genibus mea sura remotior, ipse, ut
Nullo egeam, precor.

Vid. Plur. Reverend. Dn. D. Philippus Müllerus *in dissert. de amore sui §. 17.* addatur & illud Ovidii:

Sed propior certe quam pater ipsa sibi est.

Hinc fluit amor vitæ nostræ nostrarumque rerum tanquam alterius vitæ alteriusque sanguinis. Gloss. *in l. 14. verb. vitam C. de Advocatis.* Aretin. *in l. si tuis nummis. C. de oper. libetr. & l. pen. C. de constit. pecun.* Neque tamen hisce contraria est altera juris divini regula: *Proximum diliges sicut te ipsum.* Utique enim regulariter hoc

hoc ita fieri convenit, & proin etiam Amor sui ipsius recte pro norma amicitiæ amorisque erga proximum habetur Aristot. *lib. 9. Nicom. c. 4.* Dn. Schilter. *c. l.*

THES. IV.

In hac posteriori significatione nos accipimus Φιλαυτίαν illamque consideramus, quatenus de jure quæritur, seu quid circa eam justum est, hancque, quantum ad nostrum facit propositum, describimus: *Quod sit vehemens affectio erga seipsum, bona propria aliis proponens, eaque impense tueri studens, naturaliter indita, ac jure permissa.*

THES. V.

Bona illa concernunt vel *Vitam*, vel *Famam* vel *Fortunas.* Nolumus jam verba facere de Philautia respectu DEI, cum talismodi tractatio pertineat ad Theologos; Nos certis capitibus contenti modo dicta considerabimus objecta, quatenus sc. amor iste respectum inprimis habet ad alium, annectentes simul casus, in quibus cessat Philautia, seu causas, ob quas amor sui vires suas exserere non valet.

CAPUT II.

IN QVO TRACTATVR PHILAVTIA CIRCA VITAM.

THES. I.

EX amore sui propullulat studium conservandæ vitæ; cujus conservatio fit vel *alimentis* vel *viribus* corporis. Illa sunt vel interna, seu nutrimentum, vel externa,

na, seu corporis cultus exterior. Inter interna præcipuum locum obtinent *cibaria*, quo nomine non tantum panis, carnes, & reliqua edulia, sed etiam potus, vinum, cerevisia Wesenb. *ad tit. ff. d. alim. legat.* Imo omnia quæ vel conservandæ vel restaurandæ valetudinis ergo necessario impenduntur, Medicinas intellige, huc referuntur *arg. l. 44. ff. d. V. S.* Alimenta cultus præcipua sunt vestimenta *l. 43. in f. d. V. S.* Calcearia, h. e. ad pedum tegumenta necessaria *l. 8. l. 14. ff. d. transact.* Habitatio *l. 6. & 21. ff. d. aliment.* aliaque, quæ vide apud Colerum *d. alimentis lib. 2. cap. 1.* Sunt autem ad sustentationem & alimentationem sobolis suæ de jure naturæ arctissime adstricti PARENTES, quippe cum etiam bruta quæque nobiscum communi naturali instinctu proli suæ de vitæ necessariis, quantum est necesse, prospiciant, *pr. Inst. d. Jur. nat. gent. & civil. l. 1. l. jus naturale ff. d. J. & J.* Vitiosus itaque & bestiis deterior erit, & uti Coler. *d. alim. lib. 1. c. 2. n. 9.* loquitur, videtur morbum habere cerebri & defectum rationis, qui commune hoc juris naturæ præceptum negligere non veretur, de quo Cicero *lib. 2. d. orat. Non est*, inquit, *boni & liberalis parentis, quem procreavit & eduxit, eum non vestire & ornare, præsertim cum locupletem esse negare non possit. Grot. d. Jur. bell. & pac. lib. 2. c. 7. n. 4.* Gartz. *de expens. c. 3. num. 3.* Neque in arbitrio est Patris ad avertendum alimentationis onus vendere vel alienare liberos, quia species foret nimiæ crudelitatis, D. Eichel *in tract. de Jure quo natural. Parent. & liber. sibi invic. sunt obstr.* imo lex ipsa civilis id regulariter prohibet *l. 1. C. de patrib. qui filios distrax.* Quando vero existit casus, ubi Pater tanta inopia, laborat ut plane nihil habeat, unde vivat, tunc

tunc ex neceſſitate contra naturalem illum affectum aliquid facere (quod alias non faceret) & vi patriæ poteſtatis ex *l. ult. C. d. patrib. qui fil. diſtr.* vendere liberos ipſi permittitur, ne ſemetipſum odiſſe videatur, ita tamen, ut nihil amplius in emtorem transferat, quam ſervitii tantum obtinendi facultatem, non quidem tempore vitæ, ſed tamdiu, donec ipſe pater paratus eſt ſolvere, id quod accepit, aut mancipium aliud offerat *d. l. fin.* Ludwel. *exerc. 2. th. 1. lit. 3.* An autem *Matri* hæc liberos diſtrahendi poteſtas competat? Sunt qui matri jus illud non competere dicunt, quia rubrica Codicis *de patrib. qui fil.* ſit concepta tantum de patribus, non matribus, & jus iſtud conceſſum parentibus, qui liberos ſuos habent in poteſtate; ac ſupereſſe videatur ex priſca ita vendendi licentia, ſi credimus Sichard. *ad rubr. C. d. t. n. 5.* de qua ita lex XII. tabb. ait; *uti qui ex patre matreque familias ejus naſceretur, in patrisfamilias ſui manu, poteſtate, mancipioque eſſet: haberetque paterfamilias jus in eum vitæ ac necis, terque filium venundandi poteſtatem.* Dionyſ. Halicarnaſs. *lib. 2. antiqu. Roman.* Mater autem liberos in ſua poteſtate non habet §. *10. Inſtit. d. nupt.* Verum Matri denegandum non eſt jus propter nimiam egeſtatem, ubi alia alendi ratio non ſuppetit, filium filiamve ſanguinolentos vendendi, quia in *d. l. 2. C. d. patr. qui fil.* cauſa generalis, nimirum nimia paupertas, non patria poteſtas, civium Romanorum propria, in matrem quoque cadit; cauſa enim diſtrahendi efficiens eſt potius pietas æque matri debita *l. 4. ff. d. curat. fur.* Neque obſtat argumentum a rubro tanquam contrario ad nigrum deductum, hujus enim conſequentia non valet *arg. l. 28. ff. d. legib. l. 15. C. d. pact.* alias ſequeretur ſo-

los vendendos esse *filios*, contra *d. l.* 2. Nigrum ergo illud saltem explicatorium est, sc. per patres ibi, ceu potiorem speciem, Synechidῶς accipi genus, nempe Parentes; & verbum istud in *l.* 2. *si quis* tam masculos quam fœminas complecti *l.* 1. *ff. de Verb. Signific.* inprimis in favorabilibus, qualis conservatio vitæ *arg. l.* 1. *ff. d. bon. eor. qui ante sentent.* Magnif. D. Struv. *Syntagm. jur. civil. exerc.* 23. *th.* 27. ubi notat: *Hodie ejusmodi venditionem non habere locum, sed tali casu contingente Magistratum subvenire*, Perez. *in Cod. ad. d. t. C. qui fil. distrax.* Groenweg. *in LL. abrogat. in C. d. t.* add. D. Eichelius *in tract. d. jure, quo naturalit. liber. & parent. sibi invic. sunt obstricti th.* 22. & *seqq.* D. Hahnius *ad Wesenb. tit. d. his qui sunt sui vel alien. jur. n.* 2. ubi notat, quod id, quod de venditione dicitur in sæpe *d. l.* 2. etiam in permutatione similive contractu locum habeat. ad Molin. *Disp.* 33. *n.* 21. & *seqq.*

THES. II.

Vice versa LIBERI Parentes suos alere tenentur, quoniam beneficia, quæ ab iis in ipsos profecta sunt, sine controversia omnium maxima & quidem tanta sunt, ut nemo mortalium ea sufficienter remunerare valeat Syracid. *cap.* 7. *vers.* 29. & 30. quod ipsum quoque autoritate Aristotelis 9. *Eth. c.* 2. probatur, qui dicit: *Filios parentibus maxime res ad vitam necessarias suppeditare debere tanquam debitores; & pulchrius esse, iis per quos sumus, quam nobismet ipsis hac in parte opitulari.* Eademque necessitas alendi in jure nostro Civili & Canonico injungitur liberis, *tot. tit. C. de alend. liber. & parent. l.* 5. & *seqq. ff. de alend. l.* 50. *ad Trebell. l.* 73. *ff. de jur. dot. c. Moysès* 32. *qv.* 2. *c. nasci dist.* 55. *c. mulier, cap. cæterum. dist.* 86. Quando vero par malum imminet, & filius ipse pauper est,

est, naturale debitum cessat, cum quilibet ex amore sui sibi ipsi prospiciat, propriaque charitas incipiat a seipsa *l. 6. & ibi Bald.* & *Salicet C. d. servit. & aqu.* idque huc in specie accommodant Corn. *consil. 128. incip. circa hanc copulationem. n. 3. vol. 3. Matth. d. Afflict. decis. 209. incipit. Quidam Baro num. 9.* & multi alii, quos citat Coler. *d. aliment. lib. 1. c. 8. num. 87.* Quemadmodum enim Pater tanta paupertate pressus, ut vix semetipsum exhibere possit, non tenetur filium alimentare Angel. *in l. 26. num. 2. ff. si quis omiss. caus. testam. l. 1. §. præterea. vers. utrumque ff. d. tutel. & ration. distrah.* Petr. de Ravenna *in Alphab. aureo verb. Charitas.* Ita filius simili paupertate laborans patrem alere non tenetur; Et sicuti patri facultates, quando a filio convenitur, excutiendæ non sunt, sed ipsi relinquendæ, ne egeat §. *38. Inst. d. action. l. 16. de re judic. l. 7. ff. d. obseq. parent. & patron. præst.* quo fundamento utuntur Alciatus *d. præsumt. reg. 1. præsumt. 52. num. 4.* Anton. Gabriel. Roman. *in commun. conclus. lib. 6. tit. d. aliment.* In quoque bona filio, quando convenitur a patre, non debent aufferri, ne egeat, ex natura correlativorum, uti Colerus *de alimentis lib. 1. c. 5. num. 53.* tradit, & quia paupertas omnem actionem excludit, *l. 6. ff. d. dolo*, pater egenus filium egenum non potest cogere, ut ipsi alimenta suppeditet.

THES. III.

Incidenter quæritur: *Quando filius vix bona habet, ut unicam tantum personam alere possit; num patri potius, quam matri, quamvis & illa admodum egena sit, alimenta præstare debeat!* Et pro patre communis fere sententia esse solet, uti Balduino *in libr. d. casib. conscient. lib. 4. c. 16.* circa officia Parentum ac liberorum videre licet. *Distinctius*

ftius tamen rem hancce decidendam esse putamus. Utrum filius substantiam bonorum a matre acceperit, quod fieri potest, si maritus plane nihil, cum uxorem duceret, habuerit, neque per totam tempus aliquid lucri fecerit; Utrum vero illam acceperit a Patre. *Priori* casu ipsum potius alere debere matrem, quam patrem omnino existimamus, quia beneficia beneficiis sunt compensanda; Ingratus autem esset, si beneficium sumere sciret, reddere nesciret. *Altero* vero casu, cum patri totam suam substantiam debeat aliud dicendum. Quid? *Si ambo, Patre & Mater, bona sua diligentia acquisiverint, filioque tradiderint propria, post modum inopia premantur, Utrum filius patrem potius, quam matrem debeat alere?* Respond. Quanquam potior autoritas sit patris, quæ est præcipua filii causa & caput familiæ, Thomas 22. *qu. 26. & 50.* illasque ob causas prærogativam aliquam habeat præ matre, pietas tamen filii requirit, ut & egenæ matris rationem habeat, ut potius alimenta ita dividat, ne mater parte sua defraudetur, quia scriptura, cum parentes liberis commendat, patrem ac matrem plerumque conjungit. Bald. *in cas. consc. d. l.*

THES. IV.

Et in tali casu, ubi frusto panis quis aut alterum aut seipsum conservare possit, utrum præferat, generaliter dicendum est; Quamvis in Evangelio proximum amare sicut nos ipsos, non præ nobis jubeamur; Quando tamen par malum imininet, nos minime vetari nobis potius, quam aliis consulere Grotius *d. Jur. bell. & pac. lib. 1. c. 3. num. 3.* Quod verum est, si nosmet consideramus absolute ut homines seu in statu naturali Paul d. Castrens. *ad l. 3. ff. d. just. & jur. num. 9.* non autem qua-

quatenus cives, ſocietati addictos, quia tunc ubi bonum commune & publicum periclitatur, magis id quam vitam noſtram amare debemus D. Simon *ad Grot. lib. 1. c. 3. num. 3.*

THES. V.

Cum itaque quilibet homo vitam ſuam non a ſe, ſed a DEO habeat, neceſſe eſt, ut illam omnibus modis conſervet; Unde periculo imminente, cum ſuſtentationi vitæ aliter, quam per eduliorum ablationem, quæ alteri fit, ſubveniri nequeat, pro vitio non habendum erit, in caſu extremæ neceſſitatis, ſit ad conſervationem ſui conducentia proximo aufferat; quamvis Magiſtratum adeundo, & per implorationem officii judicialis *valentiorem* ad ſublevationem adigendo melius faciat, rectiusque conſcientiæ conſulat, uti communis eſt Dd. ſententia, de qua vide Abbat *in c. 3. de d. furt. num. 7.* Felin. *in cap. 1. d. offic. jud. 1. 3.* Covarruv. *lib. 3. variar. reſol. 14. num. 11.* & multos alios, quos alleg. D. Franzkius *in reſolut. 7. lib. 2. num. 40.* Sin autem ſpernat officium judicis fame adactus ſibi ſuæque neceſſitati natura ducente ex re aliena panem, pecuniam vel alia utenſilia, dummodo ſufficientem non exceſſerit quantitatem, nec plus abſtulerit, quam vitæ retinendæ ſufficiat *Deuter. c. 23. v. 24. & 28. Matth. 12. verſ. 1.* furtum non committit, ita ut Dominus cui in extrema neceſſitate aliquid ſurripitur, furti agere non poſſit, ſed ſumpiens utitur jure ſuo contrectando rem, quæ propter neceſſitatem extremam non habet rationem proprii, aut aliena manet amplius, ſed fit communis ob neceſſitatem illam extremam, perinde ut inter navigantes ſingulorum commeatus, deficiente publico, communis fit, ita ut quisque vectorum de ſuo

nolens volens conferre teneatur Paul. *in l. 2. §. 2. in fin. ad L. Rhod. d. jact.* D. Frantzk. *d. l.* atque hoc oritur ex privilegio quodam neceſſitati naturaliter conceſſo, cum inextremæ neceſſitatis periculo ad providendum neceſſitati naturæ, via omnibus extrema neceſſitate detentis ſit conceſſa *cap. exiit, qui ſeminat. 3. d. Verb. ſign. in ſexto* Sanguinem etenim ſuum cuilibet qualiter qualiter redimere Ulpian. *in l. 1. d. bon. eor. qui ant. ſent. mort ſibi conſciv.* & contra quemvis hoſtem, adeoque etiam famem naturæ deſtructorem & paſſionem crudeliſſimam præſidia parare licet Florentinus *in l. 3. d. Juſt. & Jur.* Paul Berens *diſp. ad Inſt. diſp. 13. th. 1. q. 8.* eleganter Magnif. D. Struve *in diſſert. d. facultate utendi rebus alter. in caſu urgentiſſ. neceſſit. th. 5. ait.* Per talem namque neceſſitatem efficitur ſuum id, quod quisque accipit ad ſuſtentandam propriam vitam, & reviviſcit Jus illud priſtinum rebus utendi tanquam ſi ſingularis rerum apprehenſio atque occupatio facta non eſſet. Tum enim res omnes, quæ ad neceſſitatis extremæ ſublevationem aptæ ſunt, fictione quadam, quam lex in favorem paupertatis, ob quam multa adverſus juris communis regulas introducta reperire eſt, de quo vid. eleganter Andr. Alciatus *de Verb. ſignif. lib. 1. num. 58.* introducit, proprium Dominum habere non videntur, ſed communes ſunt, quæ actu jam ſunt nullius, potentia autem omnium, quatenus ſcil. cuivis occupanti cedunt, nec ab occupatione illarum quiſpiam prohiberi poteſt aut debet. Quibus adſtipulatur Carpzov. *pract. crimin. part. 2 qv. 83. num. 50.* ubi diſerte profitetur, ſe non negare ob furtum modicum in caſu extremæ neceſſitatis perpetratum, omnem quandoque pœnam remitti poſſe, quin & judicem prorſus

sus absolvere reum teneri, & ita pronunciasse Scabinos Lipsienses: Haben die beyde Gefangene in Gute bekand und gestanden, daß sie durchs Stroh Dach geschnitten, und demselben 10. Brod, und etliche andere Sachen, so die Gerichte auf 4. Gülden 17. Groschen tariret, entwendet, dagegen aber eingewendet, daß sie die grosse Hungers-Noth, welche sie und ihre 3. kleine unerzogene Kinder gelitten, darzu gebracht; denn sie in zween Tagen kein Bissen Brod gehabt. So haben sie ihr Verbrechen durch das albereit erlittene Gefängnüs zur gnüge gebüsset, und werden hinwieder billig erledigt. Hactenus de esculentis. Quid autem de *potabilibus*, & num illa aufferi possint? Putant quidam, & ex illis Harprecht *ad §. 1. Inst. d. oblig. qua ex delict. num. 21.* & Bocer. *tr. d. pœn. furt. crimin. c. 2. n. 175.* potulenta quempiam rapere non posse, quia Ordinatio Carolina art: 166. rubr. Stehlen in rechter Hungersnoth & *cap. 3. X. d. furt.* diserte & expresse loquantur de esculentis tantum & cibariis, non vero potabilibus, & quod sitis necessitatem sine furto vini, aut cervisiæ alienæ quis posset effugere, solius aquæ usu. Ast dari potest casus, ubi ægrotans aquæ simplicis potum abhorrens, si ab alio aliud potus genus precibus impetrare nequit, per ablationis remedium vitæ suæ consulat, D. Simon *dissert. de ablation. rei alien. in cas. necess. th. 16.* Bocer. *de furto c. 2. n. 16.*

THES. VI.

Vires corporis tuentur vitam, ut quis sese vel *defendat* adversus aliorum insultus, vel evitandi mali alicujus causa in pedes se conjiciat arripiatque *fugam*. Quippe tuitionem sui & vindicandi impetum natura omni-

omnibus indidit animalibus, quod Cicero *lib. 1. d. offic.* confirmat: *Principio*, dicens, *generi animalium omni est a natura tributum, ut se vitam corpusque tueatur, declinetque ea, quæ nocitura videntur*, & in Orat. pro Milone: *Hæc non scripta, sed nata lex est*, ait, *quam non didicimus, accepimus, legimus; Verum ex natura ipsa arripuimus, hausimus, expressimus; ad quam non docti, sed facti, non instituti, sed imbuti sumus, ut si vita nostra in aliquas insidias, si in vim, tela, aut latronum aut inimicorum incidisset, omnis honesta ratio esset expediendæ salutis.* Cui concinit Brasidas apud Plutarchum in libello, qui inscribitur: *Quomodo quis suos in virtute paranda sentire possit profectus.* Cum enim ille manus temere in caricas immisisset, & a mure inibi forte fortuna latente morderetur: *Papæ*, inquit, *nullum est animal tam pusillum, quod lacessitum non cupiat sese ulcisci.* Hinc fit, ut propter amorem sui concedatur privato aliquid, quod alias non nisi per Magistratum publice fieri potest. Scilicet privatis nonnunquam vis privata in casu necessitatis permittitur, quia in hoc necessitas facit probabile & excusabile, quod alias non licet *l. 27. ff. de manumiss. testam.* & melius est occurrere in tempore, quam post exitum vindicare *l. 1. C. quand. lic. unic. sine judic. se vindic.* vel post causam vulneratam remedium quærere *l. ultim. in fin. C. in quib. caus. in integr. restit. necesse non est.* Quæ *defensio sui* omni *jure* etiam cum aggressoris internecione licita & concessa est Cujac. *lib. 5. observ. 18.* ita tamen, ut quoad *institutum* & impulsum naturæ, quo omnes adversus vim illatam proprium tueri corpus annituntur, juri *naturali*, quoad rationem naturalem, ex qua moderamen & formam suscepit, juri *gentium*; quoad approbationem juri *civili* & *canonico* cum Bocer. *lib. 2.*

lib. 2. d. duell. c. 10. num. 19. & 20. defensionem istam adscribamus. Et hæc ex Philautia seu amore sui producta defensio datur *omnibus* nulla ætatis, conditionis sexusve habita ratione *l. 3. ff. d. J. & J. ibi quisque:* quo nomine omnes significantur *l. 29 ff. de heredib. instit.* unde Infans, Puer, Adolescens, Vir, Senex, Studiosus, Doctor, Apostolus, Presbyter, Monachus, Rusticus &c. violentam offensionem recte propulsare possunt itemque fœmina *arg. l. 1. §. cum arietes ff. si quadrup.* contra omnes, injuste vim inferentes, nullo conditionis, ætatis aut sexus attento discrimine *l. is. qui aggressorem 2. ibi: quemcunque C. ad L. Cornel. d. sicar. l. 5. in princ. ibi: quemcumque ff. ad L. Aquil.* Ex quo concluditur: Quamvis liberi parentibus pietatem, reverentiam & obedientiam debeant, *l. 3. 4. & 5. C. d. patr. potest.* Si tamen Parentes omnem humanitatem & σοργὴν exuentes armis hostilibus liberos aggrediantur, & non tantum eos vulnerent, verum etiam occidere velint; Liberi vero neque fuga vel paternorum ictuum aversione sibi consulere, neque lacrumis aut precibus, neque vulnerum acceptorum gravitate, neque ulla alia ratione, quam pietas naturalis in liberis requirit, parentes ad paternam affectionem flectere queant, adeo ut vel certo mors eis expectanda, vel cum internecione parentum declinanda sit, hoc casu inculpata tutela liberis haud deneganda videtur *d. l. 3. d. J. & J. d. l. is qui aggressorem 2. C. ad L. Cornel. de sicar. & 5. ff. ad L. Aquil.* ubi nulla distinctio inter personas extraneas & Parentes adhibetur, sed defensio omnibus, & contra omnes indistincte conceditur, & notabilis est textus *in l. 35. ff. d. religios. & sumtib. funer.* ubi filius patrem, qui ad patriam delendam venit, etiam

cum præmio occidere poteſt, ut proinde multo magis integrum ſit, patrem veluti propriæ ſalutis hoſtem & inimicum interimere, cum ordinata charitas a ſeipſa incipiat *arg. l. præſes ibique Gothofred. C. d. ſervit. & aq.* & omnes melius ſibi velint quam alteri, quam in rem bene Imperator Gordianus *in l. 3. C. ad L. Cornel. d. ſicariis* ait: *ſi quis percuſſorem ad ſe venientem gladio repulerit, non ut homicida tenetur; quia defenſor propriæ ſalutis in nullo peccaſſe videtur.* Imo lex inferior: *ne occidas alterum*, cedit ſuperiori, *ne occidas teipſum, c. ſi non licet 23. q. 5. per tot.* Ne itaque filius vim a patre illatam patiendo ſeipſum occidat, (quippe is, qui ſe contra vim illatam non defendit, non minus peccat, ac ſi violentas ſibi ipſi inferat manus. Franciſc. Zoanett. *in tract. def. tripart. part. 1. n. 3.*) patrem interficere poteſt; ac pater perſonæ ſuæ oblitus, eo in caſu non habendus eſt pro patre, cum contra pietatis officium & jus naturale agat, quo jure hominem ab homine beneficio affici potius quam offendi & lædi æquius eſt, exindeque indignus judicatur, ut beneficium juris naturalis expectet, Felin. *in c. delicti num. 7. X. d. except.* non dicam, quod cum filius Vaſallus Dominum feudi contra parentem debeat defendere, de quo infra dicetur, multo magis ut poſſit patrem interficere, Kremberg. *tr. d. neceſſ. defens. qu. 3. num. 42. usque ad num. 67.* Itaque ſi filius patrem, tanquam injuſtum vitæ filii aggreſſorem occidat, parricidium commiſiſſe non dicetur, Finckelthaus. *de jure ſepultur. cons. 13. lit. e.* quia tunc aggreſſorem vitæ & latronem interficit, *l. 35. ff. de religioſ. & ſumt. funer.* non patrem, cujus poteſtas in pietate, non in atrocitate conſiſtere debet *l. 5. ff. ad L. Pompej. d. parricid.* Farinac. *p. 4. oper. crimin. tit. 14. quæſt.*

quæst. 120. num. 186. Menoch. *de arbitr. jud. quæst. lib. 2. cent. 4. cas. 356. num. 35.* Zieritz *ad constit. crimin. Carol. V. artic. 140. pag. 157.* Jacob. Ayrer. *tract. d. triplic. homicid. gener. part. 1. n. 69.*

THES. VII.

Quamvis subditi Magistratum colere eique obedire teneantur *l. 2. §. 13. ff. d. orig. Jur. l. 5. ff. d. jur. immun. l. 167. §. 1. d. Reg. Jur. Matth. 22. vers. 20. ad Roman. 13. vers. 1. etiamsi si dyscolus epistol. petr. 1. c. 2. vers. 18.* eo quod subditis sit loco patris *Nov. 8. cap. 8.* & qui subditus est, ei in omnibus præcipi potest Gylman *decis. cameral. 46. n. 32.* Si tamen Magistratu non habeatur *fac. l. 1. in verb. & quod serum est. C. quand. licet unic. l. 5. C. d. sicar.* Etenim instituti sunt Magistratus de facto procedat, subditis concessa est inculpata tutela adversus ipsum, seu propria autoritate defensionis causa ei resistere licitum est *l. 2. quemadmodum 29. §. Magistratus ff. ad L. aquil. l. 32. ff. d. injur.* maxime si damnum sit irreparabile *l. 5. & 7. C. d. jure fisci* non enim Magistratui, sed privato resistitur *l. 170. l. 167. d. R. J.* Zoannett. *tripart. defens. part. 3. num. 20.* licet enim in judicio procedat, tamen injuste procedit, ut pro Magistratus, ut subditis prosint, non ut obsint; ut justitiæ sint Sacerdotes, non injuriarum authores: ut bonum & æquum ament, illicita reprobent *l. 1. ff. d. & J. l. 6. C. unde vi.* Robert. Marant. *in specul. aureo disp. 1. num. 34. & 35.* Et huc spectat dictum illud Eusebii: *Principatum gerens, reminiscaris injuriarum ac dissensionum, si quæ tibi prius cum quibusdam interceserint; Non enim ad regnandum promotus es, ut teipsum ulciscaris: Verum, ut imperio tuo subditos etiam ab aliorum insidiis securos, atque tutos custodires: & ut custos esses recti, atque magnæ Deæ Justitiæ minister & interpres* Hinc si judex prætextu officii aliquem, de cujus innocentia notorie con-

ſtat, in carcerem conjiciat, eique damnum irreparabile, puta mortis vel torturæ, inferre tentet, quin is non tantum carcerem, effringere, & fuga ſaluti ſuæ conſulere, ſed etiam, ſi aliter ſe defendere & auffugere nequeat, cuſtodes carceris, qui ipſum fugientem armis perſequuntur, occidere poſſit, magni nominis JCti non dubitant; offenſio enim hic eſt illicita: Siquidem vis neque a Judice, neque cuſtodibus carceris jure infertur; Ergo defenſio eſt licita, præſertim cum ignoſcendum ſit ei, qui ex amore ſui ſangvinem ſuum qualiter redemptum voluit *l. 1. ff. d. bon. eor. qui ant. ſent.* Luc. d. Penna *in d. l. 5. C. d. jur. fiſc.* Covarruv. *lib. 1. var. reſol. c. 2. num. 12.* Maſcard. *d. probat. vol. 2. concl. 820. num. 17.* Sic quoque incarceratus, etiamſi juramento ſe redituram promiſerit, ad carcerem redire non tenetur: quia juramentum vi metuve extortum, non eſt obligatorium *authent. ſacramenta puber. C. ſi adverſ. vendit. c. cum contingat. X. d. jurejur.* nec juramentum debet eſſe vinculum iniquitatis c. *quanto X. eod. c. 1. verſ. quia vero eod. tit. in 6.* Obrecht. *d. defenſ. neceſſ. c. 6. n. 40.*

THES. VIII.

Equidem quilibet, qui imperio præeſt cum ſumma etiam poteſtate nomine Magiſtratus venit, inſpecie tamen de PRINCIPE quæritur, *Num inferior injuſte invaſus a Principe ſeſe ex amore ſui adverſum aggredientum ſervato tutelæ inculpata moderamine defendere, & ſi vitam ſuam aliter tueri nequeat, Ipſum occidere poſſit?* Quamvis Princeps magnis privilegiis atque præeminentis in Republica gaudeat, adeo, ut ſit Dominus, moderator & arbiter Regni & ſubditorum ſuorum *arg. l. 21. C. mandati*, etiam in abutendo *l. 25. §. 11. de pet. hered.* Hoc tamen caſu ratio naturalis reſpe-

respectum subjectionis excludit, & contra Principem, latronis personam induentem, justa & necessaria defensio videtur, uti vult Bachov. *ad Treutl. vol. 2. disp. 32. th. 6. lit. f.* Principis enim jure, aut nomine dignus non censetur, qui Principis officium facere negligit *c. scelus 2. quæst. 1.* & privilegium amittit, qui concessa abutitur potestate *cap. privilegium 11. qu. 3.* cum Princeps sit quasi communis patriæ & omnium pater, qui paternum erga subditos animum gerere, & suos tanquam filios diligere debeat, Roland. a Valla *consil. 18. n. 18.* Reinking. *in tr. d. Reg. Secul. & Eccles. lib. 1. class. 1. cap. 5. num. 69.* Sicuti igitur patrem licet occidere, quando aggressoris & latronia naturam induit, prout supra th. 5. dictum, ita etiam Principi licet violentas inferre manus, propter identitatem rationis, causa enim, propter quam, sublata, tollitur quoque ejus effectus *l. 6. ff. de jur. patron.* facit, quod reatus omnem excludat honorem *l. 1. C. ubi Senat. vel clariss.* nec legem invocat, qui in eam committit *l. 37. d. minorib.* Magnif. D. Struve *d. vindict. priv. c. 4. aph. 4.* Vasquius *l. 1. controv. illustr. 18. num. 10.* Berlich. *p. 4. concl. 12. num. 20.* Binfeld. *d. injur. & damn. dat. c. 1. quæst. 5. concl. 6.*

Thes. IX.

Tam jure divino *Genes. 3. vers. 16.* ubi DEUS ad Evam: *sub viri potestate* & ipse *dominabitur tibi.* quod ne quis existimet hoc Evæ tantum dictum, repetit *Apostol. ephes. 5. v. 22. Coloss. 3. 1. Petr. 3. vers. 1.* quam jure Civili, fœminarum est revereri maritos iisque obsequium præstare *l. 14. ff. sol. matr. & l. 1. §. quod autem C. d. rei uxor. act.* nec non jure canonico *c. 17. caus. 33. quæst. fin.* quod adeo verum, ut uxor ne votum quidem possit vo-

vere absque consensu mariti, Ferrar *practic. tit. 33.* Hinc maritus uxorem corrigere ac verberibus coercere potest. Carpzov. *pract. criminal. part. 1. qu. 12. num. 50.* qualem castigationem, si modica sit *arg. l. 17. §. 1. ff. d. usufr. l. 5. in fin. l. 6. ad L. Aquil. l. 13. §. 4. locati* omnes concedunt JCti vid. Kitzel. *in synopt. matrim. c. 7.* Anton Bullæus *in Responso Juris d. sævit. mariti in uxorem num. 6. ubi num. 10.* rationem facetam habet, quod mulieres probæ raro inveniantur, & mulierum animi contumaces sint, sicuti Accurs. in *l. ex his ff. d. legib.* ubi scribitur, de iis, quæ raro fiunt, non ferri leges, notat, non esse propterea de bonis mulierculis leges ferendas, quia raræ sunt. Debet tamen uxor tractari a marito uti membrum & socia, non fex aut serva Joan Cas. *in sphæra civitat. lib. 1. c. 1. in fin.* & præesse debet uxori non ut pecori, sed ut anima corpori, ex Plutarch. Tiraquell. *d. legib. connubial. l. 9. n. 233.* quin etiam usu compertum est, ad demerendos & in fide & obsequio retinendos animos mulierum, facilitate homini nihil esse melius, neque clementia, dicente Comico; Rosæ mollitiem si molliter extremis digitorum delibes, flagranti nares perfundit odore, si premas fortiter, transadactis spinis pungit. Basilicon naribus leviter admotum reficit Spiritum cerebri, duriter tritum Scorpionem ingenerat, Henn. Arnisæ *d. jure connubior. c. 7. sect. 3. num. 1.* Si ergo uxor a marito crudeliter tractetur, facile sepositа affectione maritali ad defensionem movetur, imo ex amore sui optimo jure vim vi, etiam cum cæde mariti, si ipsi periculum vitæ imminea repellit *l. 12. §. 1. ff. quod met. caus. l. 45. §. 4. ad L. Aquil. l. 2. & 3. C. ad L. Cornel. d. sicar.* Hinc marito cavendum monet D. Præses *in dissertat. d. frigu-*

sculo

ſculo cap. 3. th. 19. ne autor frigufculi fiat evomendo injurias adverſus mulierem, quæ inde ad iram commovetur. Quem enim fugit iracundia mulierum, quia præcipites ferantur in ferrum, in necem tam ſuam quam ſuorum, prout canit Juvenal. in calce ſatyr. 6.

— — *quoties facit ita nocentem*
Hunc ſexum rabie jecur incendente feruntur
Præcipites: ut ſaxa jugis abrupta, quibus mons
Subtrahitur, clivoque latus pendente recedit.

Ac nullus in terris ſerpens adeo venenatus eſt, uti fæmina ad iram commota, Anton. de Gvavar. *Horolog. Princip. lib. 2. cap. 41.* D. Præſes *in tract. quem inſcribit Præſidia Domus Illuſtris cap. 4. poſit. 9.* Si tamen uxor eo audaciæ procedat, ut moderate caſtiganti marito non tantum reſiſtat, & percutiat, ſed plane interficiat, omnino pæna L. Cornel. de ſicat. afficienda erit. Ita enim maritus juſte, at uxor injuſte agit; quia quum maritus ſuo jure utitur, nullam uxori vim, vel injuriam facere intelligitur *l. 7. §. 2. verſ. nec enim cum §. ſeq. ff. d. injur.* Huc ſpectat caſus a B. D. Schrötero *in faſciculo caſuum in for. conſcient. juridic. deciſor. collect. num. 59.* relatus: *Martianus maritus decrevit hac nocte uxorem ſuam Cajam interficere, hæc conſcia eſt firmiſſimi mariti ſui propoſiti, nec occurrit aliquid aliud, ex quo periculum vitæ evitari poſſit, Q. an mulier bona conſcientia venenum marito porrigere in cibo ac potu, aut ſumto gladio, quem maritus eum in finem ſub cervicali repoſuit, ipſum hunc maritum ſuum transfodere queat?* Et quamvis Molina *tom. 4. tr. 31. diſp. 13.* putet, fas eſſe uxori interficere maritum, quem certo, non ex ſuſpicione, licet magna, ſcit decreviſſe ſe velle occidere, etiam ante aggreſſionem, quia jure naturali unicique

que id licet efficere, quod urgente alterius nequitia, medium est necessarium ad propriæ vitæ conservationem, id quod etiam statuit Filliucius *tom. 2. tr. 29. c. 3. num. 39.* Contra tamen sentit D. Ziegler. *in not. & animad. ers. ad Hugon. Grot. lib. 2. d. Jur. bell. & pac. c. 1. §. 5.* ut si sciverit, debeat potiur fugere, cohabitationemque mariti evitare, quam tale quid ex proæresi perpetrare; Sin autem nesciverit, quomodo potest dici, mulierem certam esse, quod maritus tam firmiter in animum induxerit, ut ipse pænitere nequeat; in quod etiam inclinat D. Osiander *in not. ad allegat. loc. Grotii* inquiens: Periculum opinabile defensionem cum internecione non facere justam, & illicitam non tantum esse præventionem, quando scis, quod eras decreturus sit tuus adversarius te vel per venenum vel calumniam tollere, quia fere adhuc dum innocens pro præsenti, nec adhucdum cœpit cogitare de isto malo; sed illicitam etiam esse præventionem, si decretum jam factum est, & conclusio in mente de tollendo concepta. Ab hisce divortium quodammodo facit Henniges *in observ. ad Hugon. Grot. d. Jur. bell. & pac. lib. 2. c. 1.* ita differens: Ego defensionem sui admiserim, adeo ut liceat uxori ficam, quam maritus ad cædem sub pulvinari habet arripere, & illius morte prævenire præsentissimum periculum; Cui D. Schröter adstipulatur *d. l.* ipsiusque opinionem eatenus admittit procedere, si uxor alio modo vitam servare atque instans homicidium evitare nequeat; tunc enim idem videtur esse, ac si uxor jam a marito esset aggressa, ac in præsenti vitæ periculo constituta, quo casu sane quilibet ex amore sui adstrictus est in conscientia, vitam suam etiam cum alterius interfectione conservare.

THES. X.

THES. X.

Magnus debetur amor honorque PRÆCEPTORIBUS, imo eadem pene reverentia, quæ parentibus exhibetur Gloss. *in l. 9. ff. d. obseq. parent & patr. præst.* quemadmodum Aleander Magnus ingenue fassus est, quod a Parentibus quidem habuerit esse, ab Aristotele vero præceptore suo bene esse. Neque ipsis modica castigatio & coercitie Præceptoribus denegatur *l. 13. §. 4. ff. locat. l. 5. §. ult. cap. 7. X. d. homicid.* cum habeant quendam Magistratus respectum *auth. habita C. ne fil. pro patr.* cujus intuitu discipulis prohibita est percussio & defensio Dec. *in l. 3. d. Just. & Jur. num. 22.* Si vero Præceptores abutantur potestate sua, atque modum castigandi excedant, ut carnifices potius quam præceptores agant, licitum est discipulis vim adversus Præceptores etiam cum internecione repellere *l. 12. §. 1. ff. quod met. caus. l. 45. §. 4. ad L. Aquil. l. 1. §. 27. d. vi & vi armat.* Possunt igitur discipuli erga Præceptores modum in castigando excedentes, sicut contra aliam vim injustam, se defendere, inprimis cum Præceptoris sævitia culpæ annumeretur *l. 6. ff. ad L. Aquil.* Sciant autem ejusmodi homines, se præceptores, non muliones esse, & discipulos in disciplinam, non carnificinam, castigandos, non lacerandos ipsos esse traditos, quos sedulo informent & moderate regant, non vero pro levi quolibet delicto saucient & diris imprecationibus, q.. DEVM vindicem habent, defatigent, D. Strauch. *disp. d. defens necess. th. 5.*

THES. XI.

Non male Feudi Dominus & Vasallus comparantur Conjugibus quemadmodum de eo habetur *2. feud. 6. & 2. feud. 58. princ.* ubi Vasallus certo modo Domini conjux appellatur, videatur elegans dissertat. inaugural. D. Christ. Frider. Reichhelmi *d. fide reciproca conjugali Domini cum vasallo Argentorati anno 1667. habit.* & constat ex jure feudali, quod Vasallus ita amare debeat Dominum, ut hujus amori nullum plane præferat, ac contra omnes debeat esse fidelis Domino *c. un. d. nov. form. fidel. 2. feud. 7. c. un. hic finitur lex. 2. feud. 28.* ubi feudista tradit, Vasallum Dominum adjuvare debere contra fratrem & filium & patrem, quæ regula cum generalis sit, generaliter debet exaudiri, nisi quas textus ipse aut pietas, ratio naturalis & honestas a natura implantata eximit. Et licet durum videatur Vasallum Domino debere fidelitatem contra Patrem, cum tam jus divinum quam naturale requirat, ut filius honoret Parentes; Si temen existant casus, in quibus patriam vel religionem Pater oppugnet, *arg. l. minime 35. ff. d. relig. & sumt. funer. l. ult. C. d. relat. lib. 10. ff. ad L. Jul. d. annon.* ut & in iis, in quibus Dominum injuste offendit, tum enim in his casibus jus naturale oppugnat, non immerito iterum oppugnatur, siquidem beneficio juris naturalis frui non debet, qui contra jus naturale peccat, & qui contra leges aliquid committit, earum privilegis gaudere non debet *l. auxilium. 37. ff. de minor. l. fin. §. fin. C. de jur. delib.* Vultej. *d. feud. lib. 1. cap. 10. num. 33.* Obrecht. *d. feud. lib. 3. c. 4. num. 2.* A qua tamen obligationis regula excipitur propria persona Vasalli, tum quod generali

rali sermone & dispositione semper persona loquentis excipiatur, neque in his consensisse videatur, quæ sibi nocent *arg. l. 1. ff. d. Senat.* & *l. Paul. 29. ff. d. pignor.* Roland a Valle *vol. 3. consil. 5. num. 69.* Laur. Sylvan *d. feud. recogn. qu. 109. num. 12.* & generali promissione seu obligatione non veniunt ea, quæ quis, si in specie de iis interrogatus fuisset, verisimiliter non promisisset *l. 6. ff. d. pign.* Itaque Vasalli obligatio intentionem ejus egredi non debet *l. 4.* & *19. ff. reb. cred.* tum quod ordinata charitas incipiat a se ipsa *l. præses 6. C. d. servit.* & *aq. c. nam satis. dist. 88. c. sane cavendum d. pœnit. distinct. 3. cap. si non licet. 23. quæst. 5.* Schrader *d. feudis d. l. num. 20.* tum quod nemo præsumatur consensisse in id, quod contra seipsum est, Vultejus *d. feud. lib. 1. cap. 10. num. 28.* id quod etiam Interpretes trahunt ad uxorem Vasalli. Cum enim hæc cum Marito una sit caro, inter quos individua vita consvetudo intercedit, imo una anima dicantur *Genes. 2. Marc. 10. Ephes. 5.* hæc etiam tacite excepta intelligitur Rosenthal. *d. feud. cap. 8. concl. 14. num. ult.* ubi allegat Speculator *tit. d. feud.* § *quoniam quæst. 17. num. 33.* ea quippe calamitas, quæ uxori infertur, censetur etiam marito illata. Sic Vasallus pro defensione sui Dominum feudi interficere potest, nec propterea privatonem feudi incurrit Schrader *d. feud. part. 9. c. 8. num. 55.* tum quia defensio jure est permissa, ideoque nullam meretur pœnam *l. 3. d. J.* & *J.* cum quia culpa semper residet apud invasorem, quia propterea dicitur a seipso occisus *arg. l. 52.* §. *1. ad L. Aquil.* accedit, quod nemo defensioni necessariæ renunciare possit, Marc. d Mantua *sing. 1. n. 1.* Tu scis, *inquit*, quod quis tenetur, & potest seipsum defendere, etiam alium interficiendo, quare defensioni

nullus renunciare poteſt *num. 2.* ita ut in ſui occiſionem quis conſentiat Vital. *in tract. Clauſul. in tit. an defenſionib.* Tiber. Decian. *prax. crim. 2. c. 7. num. 11.* Similiter licet auxilium cum ancipiti periculo ſit conjunctum, quando tamen mors certiſſima non imminet, Vaſallus prætextu periculi vitæ ſuæ imminentis Domino auxilium ſubtrahere non poteſt, cum ea ratione nunquam Domino in prælio teneretur opem ferre, ad quod tamen obſtrictus eſt, etiamſi ut vitæ jacturam incurrat, fieri poſſit *1. feud. 17. 1. feud. 21.* Schenk. *cap. 1. in pr. n. 17. quib. med. feud. amitt.* Vaſq. *l. 1. controv. c. 11. num. 5.* Quando tamen caſus exiſteret, quo Vaſalli & Domini vita pariter ſervari plane non poſſet, propriam vitam potius, quam Domini conſervare poteſt id quod vult *Gloſſ. 1. Feud. 17. c. 1.* quia, ut dictum, nulli tenetur quis magis fidelis eſſe, quam ſibimet ipſi, propter amorem ſui, plusque ſe quis amat in ungve pedis, quam alterum in vertice capitis, ut inquit Bald. *conſ. 312.* Kohl. *d. feud. p. 4. num. 21.* Vazquez. *1. illuſtr. controv. 11.* Magnif. Dn. Struve *Syntagm. Jur. feud. cap. 10. th. 8. in fin.* Laudatur Vaſallus, maxime quando ſimul eſt ſubditus, ſi Dominum in maximo vitæ periculo conſtitutum eripiat; uti exemplum refertur in Mauritii Electoris Saxonici Vaſallo, æterna laude digno, quem dicunt Ribiſchium, qui Dominum proſtratum & jacentem toto corpore ſuper incumbens protegit, Turcasque irruentes tantisper, donec equites ſupervenientes Principem eriperent, ſtrenue pugnando ſuſtinuit, ac multis demum acceptis vulneribus in caſtra relatus exſpiravit. D. Roman *in diſſ. d. ſervit. feudal. §. 23.* uti quoque ex Schleidano refert Balduin *caſib. conſc. lib. 4. c. 17. c. 8.*

THES. XII.

Bannitus impune potest occidi *Ordin. Camer. p. 2. tit. 9.* quia bannum e cive Reipublicæ hostem facit communem patriæ *l. 5. §. 2. ff. d. cap. dimin.* Gail. *d. Pac. Publ. lib. 2. c. 12. num. 1.* & per banni declarationem quemvis quasi constituitur minister Justitiæ Coler *cons. 39. num. 98.* vel uti DD. *in l. accus. C. d. iis quæ vi metusque caus.* loquuntur, quisque offendens in locum Magistratus subrogatus videtur, adeo ut juxta Bartol. bannitus se defendere nequeat, cum injusta sit defensio, ubi justa offensio, ex natura correlativorum *arg. l. 4. C. d. his qui ad Eccles. confug.* cui sententiæ, adstipulantur Nell. a sanct. Gemminian. *tract. d. bann. 2. p. 2. tom. quæst. 49. num. 11.* Francisc. Alvor. *consil. 74. vol. 1. crimin. num. 23.* Quoniam tamen defensio juris naturæ ac gentium, adeo favorabilis, ut ne Diabolo deneganda *Clem. pastor. d. sent. & re judic.* Hippol. d. Marsil. *in l. 18. §. cogniturum. num. 47. ff. d. quæst.* ideoque per statutum tanquam legem civilem tolli non potest, §. *11. Inst. d. J. N. G. & Civil.* & hæc defensio ex ipsis naturæ sensibus descendit, quam qui tollit, tollat & ipsos sensus necesse est. Concludendum itaque est: Bannitum se adversus aggressorem cum ejus internecione defendere posse. Neque tamen Offensio, quæ, uti dictum, cuivis permissa est, & Defensio hic sunt oppositæ, sed diversa tantum; Lex enim aut statutum permittens offensionem, non prohibet statim defensionem; neque enim hoc est de natura permissi, siquidem mihi permittitur agere, non tamen per hoc adversario denegatur excipere. Ex permisso fit licitum, non autem honestum, per *l. 144. ff. d. R. J.* v. g. licet

 habeas

habeas prærogativam istam, quod in me sævire privatus vir possis, non propterea tamen sequitur, quod tibi jugulandam porrigere cervicem debeam, quod horret natura D. Binnius *d. defens. necess. th. 20.*

THES. XIII.

Jus divinum æque ac Canonicum, nec non Civile volunt jubent nos debere penitus extraneum defendere, cum proximum non minus quam nosmet ipsos diligamus *Matth. 22. vers. 38. Marc. 12. vers. 31. Luc. 10. vers. 27. Genes. 14. v. 14. c. negligere 2. qv. 7. c. non inferenda 23. qu. 23. c. error. 83. dist. c. pasce famemorientem dist. 86. c. dilecto d. sent. excom. in sext. c. sicut. dignum 6. §. illi etiam X. d. homicid. l. 109. d. R. J.* idque etiam probatur a sensu contrario *l. 50. ff. eod.* si enim nullum crimen patitur, qui non prohibet, cum prohibere non possit, reus ergo criminis est, si non prohibet, cum prohiberi possit, consensit Paul. *in l. 45. in pr. ff. ad L. Aquil. junct. l. 2. pr. & §. 1. l. 3. ff. d. noxal. act.* Defensio tamen proximo ita præstanda est, ne fiat cum discrimine propriæ vitæ vel salutis, iste enim casus semper videtur exceptus, neque alias, nisi sponte velit, ullo modo quis tenetur *l. 20. §. 1. ff. d. donat.* & nemo alterius causa in periculum se conjicere cogitur *§. 34. l. 1. ff. d. donat.* quum charitas a seipsa incipiat per sæpius *cit. l. 6. C. d. servit. & aqu.* unde versiculus:

Ille perit merito, qui plus se diligit ullum.

Et absurdum esse aliis benefacere, & non sibi, tradit *Glossa in c. Romanor. dist. 19.* Binnius *d. l. th. 30.* Quam in rem bene faciunt dicta D. Strykii *in dissert. d. jur. homin. in seipsi. c. 3. num. 28.* Dico, inquit, non teneri aliquem

quem ſuccurrere proximo cum manifeſto diſpendio vitæ ſuæ, licet ſit bene meritus de Republica aut fructuoſus civis. Non permittit jus naturæ, ut tabulam occupatam propter amicum deferas, & te undis ſine ſpe evadendi committas. Non permittit, ut telo *volanti*, ne feriat amicum, objicias teipſum, neque ut occurras hoſti, aut beſtiæ furenti in gratiam amici.

Thes. XIV.

Caſus eſt: *Sejum aggreditur hoſtis. Hic illum perſequitur. Fugiens incidit in infantem vel cæcum, adeo, ut niſi horum unum interficiat, ipſo fugienti ſit pereundum. Conſilium ergo in arena capiens intermedium, ne ipſe confodiatur a perſequente, innocentem transfodit. Q. num hocce factum* ex amore ſui proveniens, *occiſori ſit condonandum?* Quod affirmandum videtur, modo alia evadendi via non apparuerit, cum vitæ periculum quocunque modo declinaſſe magnum habeat favorem, ac vix homo reperiatur, qui affectum vivendi ſubita ratione comprimere poſſit, & natura multo minor ſocietatis ſit reſpectus, quam propriæ vitæ Grotius *lib. 2. c. 1. §. 4.* Is quoque, qui invaditur, jus habet ſe defendendi, quo non privatur ex illa innocentis interpoſitione, quippe quæ illo invito facta eſt, Leſſ. *d. Juſt. & Jur. lib. 2. c. 9. num. 57.* Diana *tom. 8. tract. 5. reſp. 18. num. 5.* D. Simon *d. Juſtit. homin. circ. ſua membr. §. 25.* neque iſte, qui ex jure conceſſo via publica ad fugam utitur, eo poteſt privari in tanto diſcrimine ratione innocentis, modo adhibeat talem circumſpectionem, quam pro tempore & loco poteſt. Admittimus tamen cum Grot. *dl.* longe aliud eſſe factum aliquid venia dignum, aliud factum ſine labe

&

& macula peccati; cui concinit D. Oſiander *in annotationib. ad Grot. d. l.* inquiens: Hoc quidem certum eſt, ſi aliquis innocentem interpoſitum, qui impediat fugam aut defenſionem nullo ſuo vitio aut intentione impediendi transfodiat & obterat in extremo neceſſitatis caſu, ubi mors aliter declinari nequit, venia dignum eſſe, non enim intentio, ſed neceſſitas hoc ipſum extorſit; interim tamen talis actus non eſt actus ſine peccato, potius enim debuiſſet mortem pati, in quo non peccaſſet, quam innocenti mortem inferre, ita Natura, ratio naturalis, ſui finis ſatis intelligens, cum ad ſocietatem colendam condita ſit, omnem φιλαυτίαν eo refert & moderatur, ut inde leges accipiat Bœcler *in not. ad Grot. d. l.* D Cariſius diſſert. inaugural. *d. foro conſcientiæ cap. 5. num. 98.* diſtinguit, an quis mortem innocentis directo intendat, an minus, utpote hoſtem & invaſorem, a quo mihi certiſſimum imminet periculum, e medio tollam, quamvis per conſequentiam etiam innocens lædatur, hoc caſu nil læſionis inde in conſcientiam redundare, præcipue ſi aliud a periculo memet liberandi remedium ſuperſit nullum. Verſor enim in re licita vitam meam defendendo contra certiſſimum hoſtem; nec mala intentione defenſionem ſuſcipio, ſed ut hoſtem proſternam; quamvis ergo cum hoſte alii pereundum ſimul ſit, hoc ex accidenti fit, ac præter meam intentionem, hinc extra peccatum ſum. Quod ſi vero ad mei defenſionem infantem v. g. non præciſe conculcare, ſed forte eundem ſaltu tranſilire decreverim, fugiendo autem in loco quodam vicino offendam pedem, & ita inopinato in infantem proruendo eundem occidam; nil inde uſtionis in conſcientia: Invadebat enim illicite; fugam naturaliſſimum

mum se defendendi remedium arripiebam, infantem in via expositum transilire volebam, & potuissem quoque, nisi pedem offendissem; Casu ergo magis quam culpa hic infans occisus dicendus est.

THES. XV.

Propter amorem sui admittunt Moralistæ internecionem tertii factam ab eo, qui sibi, suæque vitæ voluit consulere, ut quis impunis sit, qui puerum vel alium quam innocentem proxime astantem adversario objicit, eoque veluti clypeo ictus adversarii excipiat, licet is homo ab adversario vel lædatur, vel interficiatur Kremberg. *d. defens. necess. qu. 5. num 53.* & Diana *tom. 8. tr. 5. resol. 11. num. 4.* eum excusandum arbitratur, qui innocentem, quem invasor tanquam clypeum suum objicit, ut post hunc latitans impune alterum interimat, occidit, sin alia via periculum evadendi non adsit D. Simon *c. l.* §. *26.* Similiter Sacerdos baptizaturus infantem infirmum, contra aggressorem prius se defendere, atque ita ex amore sui propriam salutem alienæ anteferre potest, Anton. de Petra *d. potest. Princip. c. 26. num. 13.* ubi plures vide sis allegatos. Animadvertendum tamen est, in talibus casibus jam oppresso leges defensionis, num intendat actum ad sui defensionem, ex quo prævidet, secuturam mortem aggressoris num interfectionem, tanquam medium ad sui defensionem necessarium intendat, difficulter præscribi, aut certe in praxi vix observari posse, imo nimis durum videri obligare hominem in ea necessitate constitutum ad ejusmodi Metaphysicam, Filliucius *tom. 2. tr. 29. c. 3. num. 37.*

THES. XVI.

Quid? *Si mater prægnans graviter decumbat, vel partu difficillimo laboret, num liceat abortum facere aut fœtum abigere, ut seipsam conservet?* Hæcce quæstio tam apud Moralistas, quam JCtos, nec non Medicos in utramvis partem disputatur. Pro matre facit Philautia, quæ dictitat jure fieri, quod ob tutelam vitæ atque corporis fit, *d. l. 3. ff. d. J. & J.* & sententia Calistrati in *l. 5. ff. d. jur. immun.* quod senior non parvo intervallo junioribus sit præferendus; quibus consequens est, si in periculo sint mater atque infans, etsi tenella ætas majorem sui commiserationem cieat, matri tamen potius subveniendum, quam infanti: cum & ætatis reverentia id exigat, & mori pro parentibus liberos potius, quam illos pro his æquum sit. In officio enim tribuendo si contentio quædam fiat & comparatio, principes sunt patria & parentes: proximi liberi totaque domus, ut Cicero ait *l. 1. d. offic.* Anton. Matthæi *in commentar. d. criminib. lib. 47. tit. 5.* atque sic quoque Canonistæ statuunt, licite posse abortionis poculum præberi, quando evidens periculum ex partu apparet, quod scilicet puerpera soleat ad extremum deduci, aut nimis arcta sit, aut fama ejus lædatur, aut aliter discrimen existimationis metuatur Barbos. *ad c. 5. X. d. homicid. n. 2.* D. Ziegler *ad Instit. Jur. Canon. lib. 4. tit. 10.* gravidæ lethaliter decumbenti vitam emere ex fœtus jactura satius esse ajunt, quam permittere, ut uterque certo pereat, quod profusioribus Johann. Baptista Cortesius *decad. 10. miscell. medicar. qu. 10.* explicavit. His singulis pro virili velificatur Joh. Baptista Magatus, & abortum, si mulier aliter servari non possit,

sit, omnibus modis svadet, hac tamen lege, ut fætus nondum sit animatus, aut probabiliter sciatur, animatum adhuc non esse; tum temporis enim, ait, pro vero homicidio id putandum non est, quum fætus anima rationali non informatus sit nihil aliud, quam pars saltem viscerum prægnantis. Igitur, pergit, fætus conservatio tanto matris detrimento non est attendenda, eo magis, quod pereunte matre non animabitur Embryo, & mater potius remedii jus habet cum fœtus morte, quam hic ab illa dependeat, vid. D. Langii *considerat. d. Abortu membr. 2. qu. 1.* Verum, quicquid horum sit, Medicorum approbatorum judiciis tota controversia hæc, tanquam physicæ considerationis, subjicienda est, ipsis enim cum cæteris de peritia artis factis testimoniis commune est, ut illorum dicto credatur *cap. 14. d. probat. cap. 6. d. frigid. & malif.* Mascard. *d. probation. vol. 2. concluf. 1037.* hinc eum Nobilissimus Dn. D. Wedelius, Medicus experientissimus ac Medicinæ Professor in hac Salana celeberrimus mentem suam per discursum Dn. Præsidi explicuerit, id demonstratum dedit, antea prolatum assertum niti falsa hypothesi, quasi gravidis non possit succurri nisi venæ sectione vel purgatione, cum adsint alia præsidia, & quod purgantia dentur benedicta leniora, fœtui nullam noxam inferentia; ac præterea insigne & vix credibile robur naturæ sit in gravidis, ut non tam facilis res sit excutere fœtum, imo facto tali casu, abortu longe gravius malum inferatur matri, ut quæ uno absolvi debeat, jam duobus infestaretur; quis enim nescit, quanta symptomata abortum consequi possint cum in sanis, tum in morbosis. Ac quod dictum de evidenti periculo, quod apparet ex partu, magis est,

quod offeramus magis evidentius ab abortu metuendum esse, ille enim fit secundum naturam, ipsaque volente & ducente, hic vero contra eandem, non sine violentia. Et quis evidens illud periculum præviderit certo, cum & illa felicissime fœtum non raro enitantur, quæ debiliores nec oneri ferendo videantur? Sin ad extrema deducendam causeris puerperam, sane non maturato & perfecto fœtu longe citius id effectum dabis. Si arcta nimis sit, natura vias ampliat. Et qui quæso, exire poterit arctioribus claustris? Ut hisce ita stantibus ac præsuppositis asserendum veniat; quæstionem præmissam esse de casu non dabili, h. e. quo mater, dum necat, seipsam non servet, sed necem fœtus etiam interitum esse matris.

Thes. XVII.

Et Philautia non solum vitæ, sed etiam *pudicitiæ* defendi oritur, qualis tuitio non minus necessaria est, ac ipsius vitæ; quia pudicitia & virginitas est res omni æstimatione major, quippe quæ paradisum implet *can. 12. caus. 32. qu. 1.* quæque semel amissa, perinde, ut vita, irreparabilis est *l. un. d. rapt. virg.* adeo ut nec DEVS quidem possit restituere *textus express. in can. 11. caus. 32. qu. 5.* vid. D. Præses *in disput. ad Regul. Jur. XIII. in l. 31. exempl. 3.* Quoniam itaque invasores pudicitiæ, ut puta stupratores violenti & raptores, corpori violando, vel violato vim & violentiam summam inferunt cum injuria tam atroci & tam irrevocabili, jure videtur morti æquiparari Amesius *d. conscientia lib. 5. cap. 31. num. 8.* imo metus violandæ pudicitiæ major, quam vitæ æstimatur a JCto *in l. 8. §. 2. quod met. caus.* quapropter Augustinus non

non audet reprehendere *legem, quæ dat potestatem fœminæ, ut violenter sibi stupratorem irruentem ante illatum stuprum, si possit, interimat tom. 1. l. 1. d. libr. arb. c. 5.* B. Durrius *in compend. Theolog. moral. cap. 10.* Ferdin. de Movre *exam. theol. moral. part. 1. c. 9. §. 18.* neque invasores pudicitiæ videntur ab homicidio vacui *l. unic. vers. & merito C. d. rapt. virg.* si ratione propositi impediantur, Brunnem. *ad d. l. C. d. R. Virg.* Quapropter raptores ejusmodi & violenti stupratores impune interfici possunt per textum express. *in l. 1. §. 4. ff. ad L. Cornel. de Sicar. l. un. C. de rapt. virg. l. 54. C. d. Episc. & cleric. Ordin. Crimin. Carol. V. artic. 139. ibi.* **zu Rettung seines Leibes, Lebens, Ehr** ꝛc. *artic. 119. ibi:* **Und sich die Frau oder die Jungfrau sein erwehrte,** quam ob causam stupator violentus latroni æquiparatur a *Carol. V. in Ordin. Crimin. art. 119. in verb.* **Und soll einen Raub gleich.** & meminit Bocer. *cent. 3. disp. 4. th. 45.* studiosi, qui, quod ancillæ vitium per vim afficere laboraverit, virilibus sit ab ea privatus, & Airer *d. homicid. necess. p. 1. num. 135. & 146.* dicit: ejusmodi puellam propter hoc in fore conscientiæ esse tutam, adeo, ut si fœmina, quando stuprum violentum, quod non nisi occidendo averti potest, posthabita Philautia non a vertat, nec occidat invasorem, omnino peccet, cum videatur in stuprum consentire D. Struv. *d. vind. privat. th. 31.* & competit hæc defensio tam masculis, (quibus modis id fieri possit, docet Zachias *in quæst. medic. legal. tom. 1. tit. 2. qu. 5.*) quam fœminis, & mulieribus, quarum appellatione virgines quoque comprehenduntur *l. 13. d. Verb. signif. l. 14. §. 7. ff. d. ædil. edict. l. 25. §. 9. d. aur. & arg. leg. Const. Crimin. art. 119. ibi:* **So iemand einer unverleumten Ehefrauen,**

Witwen oder Jungfrauen ꝛc. Cum ergo fundamentum hujus defensionis sit pudicitia, sequitur, quod tale jus defensionis meretrici non competat *arg. l. 6. §. 2. d. jur. patron.* pudicitia enim non potest violari in ea, quæ nullam habet, uti est meretrix, quippe quæ corpus & pudorem alienis libidinibus prostituit, & passim venalem formam exercet *l. 20. C. ad L. Jul. d. adulter.* privatio quippe præsupponit habitum, D. Schröter *in resolut. LL. Codic. t. d. raptu.* plura vide in capite sequent.

THES. XVIII.

Et hæc de modis nonnullis, quibus servatur alicujus vita resistentia, & ubi necessitas id exigit, cum occisione alterius, dicta sufficiant. Conservatur autem sæpius vita mediante FVGA. Nec illicitum est bono viro, ubi objectum periculum videt & terribile est, nec ulla emersionis spes affulget, fuga sibi prospicere. SVBDITOS quod attinet, eorum quidem officium est obedire, ita, ut juxta Vietorem *d. caus. exempt. Imperii concl. 37.* caput alterum obedientiæ tribus hisce verbis, *veni, sta, Redi* comprehensa videatur. Quando vero potestas Imperantis spumat in *Tyrannidem*, non melius quam fuga sibi quispiam prospicit, hoc enim remedium est, quo quis uti potest contra injurias Tyranni Carpzov. *ad L. Regiam cap. 14. sect. 2. num. 8. & seq. 1.* huc quadantenus faciunt exempla Salvatoris nostri Jesu Christi, qui cum quæreretur ab Herode, auffugiens in Ægyptum latuit ibi per septennium *Matth. 2. vers 14.* Sic etiam cum a Judæis peteretur lapidibus, exeundo e templo fuga se salvavit *Joh. 8. vers. ult. c. 1. c. 23. qu. 3. in pr.* Carpzov. *pract. crim. p. 1. qu. 30. num. 57.* Theodor. *in colleg. crim. disp.*

disp. u. th. 5. lit. E. Nec non bello increpante, ubi vita cujusvis in periculo est, sangvis humanus funditur, & sæpe innoxius, & uti Owenus *lib. 1. epigr. 118.* canit:

Bella famem, pestemque fames mortalibus affert:
Est igitur bellum pejus utroque malum.
Omega nostrum Mors est, Mars Alpha malorum,
In bello distant Omega & Alpha parum.

Tam infestis temporibus ex amore sui & ad conservandum se suaque fugam arripere, & tuta receptacula possunt quærere. Similiter recte quis fuga vitæ consulit tempore *pestis* si eo in statu vivit, in quo non adstrictus est ad præsentiam jure vel naturali, vel divino, vel humano, itemque tempore vel famis, cum quilibet mortem fugere licite possit, imo teneatur quandoque. Philautia enim tunc demum aliorum, qui nobis præprimis conjuncti sunt, salutem nostræ postponi vult, quando eo ipso nostra salus præsentissimo exponitur periculo, de quibus vid. infra *Cap. V.* Bene Tholosan. *d. Republ. lib. 18. cap. 6. num. 10.* dicit, etiam Professoribus & Studiosis tempore pestis fugere licere in vicinam aliquam civitatem, & privilegia eos sequi.

Thes. XIX.

Insultatus ab altero, quamdiu fugiendi occasio & spes affulget, persequentem hostem offendere nequit. Equidem cum Mar. Salamon *in repetit. l. 3. in verb. ut vim atque injuriam propulsemus &c. num. 10. ff. d. Just. & jur.* dicimus: *Stulta semper visa est illa dubitatio, utrum peccet contra tutelam, qui mavult resistere, quam fugere.* Ut proinde ad quæstionem: an ab aliquo insultatus ac in dubio vitæ discrimine constitutus cedere, & fuga sibi con-

consulere debeat? negative sit respondendum. Siquidem *in dict. l. 3. ff. d. Just. & Jur. verb. propulsandam l. 1. §. vim vi repellendam. ff. d. vi & vi armat. l. 45. §. qui cum aliter. ff. ad l. Aquil. Ordin. Crimin. art. 140. vers.* und den Benöthigten kan füglich generaliter dicitur, neque hi textus fugæ mentionem faciunt; verba autem generaliter & indistincte loquentia ita quoque intelligenda sunt; ac propulsare atque depellere est vi contraria arcere a nobis & prohibere, ne vis atque injuria ad nos perveniat, Hug. Donell. *in l. 1. C. unde vin. 2.* id quod robore corporis fit, non pedum celeritate aut fuga, Kremberg. *d. necess. defens. qu. 6. num. 21.* Hæc enim invaso multo pernicioſior esse potest, quam resistentia, veluti si corpore obæso aut claudus, aut alias infirma valetudine esset, aut inter fugiendum lapis caderet, sicque fuga ipsum non defendit, sed potius a tergo adversarium animosiorem reddit & audaciorem Francisc. Zoannet. *tr. d. defens. tripartit. part. 2. num. 20.* Förster *d. jurisd. Rom. part. 2. sect. 4. num. 5.* imo melius est in tempore occurrere, quam post vulneratam causam remedium quærere *l. 1. C. quand. lic. unicuique sine judic. l. fin. C. in quib. caus. in integer.* & post exitum vindicare *l. 1. C. quand. lic. uni.*

Thes. XX.

Conjuges sibi invicem in thoro debent ἐυνοίαν in opere conjugali præstare, ne finis matrimonii deturbetur juxta præceptum *Apostol. 1. Cor. 7. vers. 3.* quod vult, ut uxori vir debitum reddat, similiter & uxor viro. Quando vero pars laborat impotentia, & altera cohabitare ipsi non potest vel non vult, Philautia partis validioris & ratio svadent, separationem esse instituendam, & si

ab

ab initio adfuit impotentia, & tunc non tam reſcinditur, conjugium, quam nullum prædicatur ipſo jure *c. accepiſti ibique. Hoſtiens. pr. X. d. frigid. & maleficiat. auth. ſed hodie C. d. repud.* præſumitur enim nullum unquam adfuiſſe *Novell. Leon. 98.* quum ſemper defuerit illius finis atque conſummatio, copula videlicet carnalis Schneidewin. *comment. ad Inſt. d. nupt. num. 8.* Carpzov. *Jurispr. Conſiſtorial. lib. 3. tit. 1. def. 12.* & ceſſat pœna adulterii ordinaria in marito vel uxore, qui quæve ob Conjugis vel ante matrimonium latentem, poſt matrimonium initum, morbo aut violentia contractam impotentiam coeundi cum aliena perſona extra Conjugium ſe commiſcet, mitiorque vel relegationis vel fuſtigationis pœna locum invenit Carpzov. *prax. crimin. part. 2. qu. 61. n. 14. & ſeqq.* D. Simon *d. impotentia Conjugali cap. 7. th. 2.* Quoad prius facit apud Dedekenn. *conſil. Theologic. vol. 3. l. 4. ſect. 6. n. 10.* in caſu, quo Senex ad generandum & conſveſcendum ineptus mulierem talia appetentem duxerat, relatum reſponſum Theologorum Vitebergenſ. ſuper quæſtione: Ob einem Weibe, welche einen alten Mann genommen, der wegen ſeines hohen Alters und eingefallenen Kranckheit zum ehlichen Werck untüchtig, ſich anderweit zuverehlichen geſtattet wird? Verbis: Daß nunmals aus des Beklagten Vorwendung ſo viel erſcheinet, dürfft Er eytlichen ertheuren, daß Er ſeines Alters und eingefallenen Kranckheit halben zu ehlichen Wercken nicht tüchtig noch vermüglich, auf den Fall würden die Sponſalia, ſo zwiſchen Ihnen geſchehen, billich retractiret und hinterzogen, und möchte ſich Klägerinne ihrer Gelegenheit nach im Nahmen GOttes anderweit verehlichen, aber gleichwol, weil Beklag-

ter seine Unvermögenheit gewust, und sich doch darüber vergeßlich in den Ehestand eingelassen, so soll Er derwegen willkührlich gestraffet werden, auch Klägerin die erlittene Schaden und Unkosten auf vorgehende Gerichtliche Mäßigung erlegen, V. R. W. Quid? si quis quidem non sit impotens, alter vero Conjux leprosus, an alter sanus omnino liberandus sit a præstatione debiti conjugalis? Resp. propter Philautiam & conservationem sui pars sana amplexum connubialem ut præstet, cogi nequit, Gothofred ad Schneidwin *Inst. d. patr. potest. lit. C.* durum enim esset, ut conjux sanus contagioso conjugalem amplexum reddere teneatur: nec licet malum facere, ut eveniant bona, D. Præses *in disput. d. frigusculo. cap. 2. th. 10.*

Caput III.

CONSIDERAT

PHILAVTIAM CIRCA FAMAM.

Thes. I.

AMor Famæ non minor est quam vitæ. Vitam enim quisvis eripit, rem adimit, qua nullo etiam auferente diu frui non poteramus: At vero famam eripiens, re immortali nos spoliat. Hinc bona fama res dicitur inæstimabilis & omnium pretiosissima *arg. l. 104. d. R. J.* unde vulgatum illud:

Omnia si perdas, famam servare memento:
Qua semel amissa, postea nullus eris.

Imo crudelis audit, qui famam suam negligit: unde Cicero

cero *l. 3. offic.* dicit: *eum qui non defendit nec obsistit, si potest, infamiæ, tam esse in vitio quam si parentes, aut amicos, aut patriam deserat.* & dicitur, quod bona & integra fama magis custodienda sit, quam oculi *l. 8. C. de decur. lib. 10.* & omnibus divitiis commodoque pecuniaria præferenda *Proverb. 22. v. 1. l. 7. l. 97. ff. d. solut.* sunt quoque qui famam cum ipsa vita solent æquiparare *l. 9. ff. de manum vind. l. 8. §. 2. ff. quod met. caus.* itaque omnibusmodis caveas, ne quid inclementius admittas, quod famæ tuæ obesse possit; sæpius unico quodam facto quid admittitur, quod apud bonos viros gravat. Est enim (ut Petrarcha *lib. 2. d. remed. fort. dialog. 25.* ait) *fama hominis delicatissima, quæ sæpe rubiginem levibus contrahit ex causis: Utque nihil clarius fama est, sic nihil obscurari pronius, nihilque peregrinarum (ut sic dicam) capacius impressionum.* Hæc ipsa fama continet quoque *Gloriam*, quæ sæpe æstimatur ut fama, vid. Cicero pro *M. Marcillo & l. 3. d. offic.* Estne vero res ulla tanti aut commodum ullum tam expetendum, ut boni viri & splendorem & nomen amittas? quid est quod afferre tantum utilitas ista, quæ dicitur, possit, quantum auferre, si boni viri nomen eripuerit, fidem, justitiamque detraxerit? inquit Idem *l. 3. offic.* Hujus famæ amor innatus permittit, ut quis sibi ipsi licita quæque tribuat, merita sua deprædicet, seipsum laudet, existimationem defendat, eandem titulis illustret, eaque quæ forsitan ex invidia ab aliis objiciuntur, retorquendo removeat, quæ omnia ex fonte suo, Philautia nempe, promanant, illucque reducuntur.

THES. II.

Quod meritorum ſuorum deprædicationem attinet, de ea elegans locus extat apud Plutarch. *in lib. de laude ſui: Vt audendum ſit*, inquit, *Viro civili aliquid de ſeipſo dicere, non gloriæ ullius aut gratiæ captandæ cauſa, ſed quia occaſio aut res ita poſtulent, ut ſicut alia vera, ita de ſeipſo etiam proferat; maxime cum ad præſens inſtitutum commode cadit, ut liberaliter profiteatur, tale aliquid abs ſe fuiſſe geſtum aut confectum. Hujuſmodi autem laus bonum producit fructum, ex ea tanquam ſemine pluribus & auctioribus pullulantibus laudibus. Quippe gloriam civilis vir non ut præmium virtutis aut ſolatium exigit, aut amplectitur ſuis actionibus comitantem, ſed quod credi & haberi pro probo cauſam & occaſionem ipſi plurium pulchriorem-que parit facinorum; dicto enim audientibus & amantibus facilius & ſuavius licet prodeſſe: qui ſuſpecti ſunt, aut calumniis onerati, virtute ſua non poſſunt uti, & vim facere beneficium ipſorum fugientibus. Si vero alias etiam ob cauſas civilis vir ſeipſum laudare debeat, conſiderandum eſt, quales ea ſint, ut vanitatem & importunitatem evitantes, quod utile eſt interim non prætermittamus.* Unde concludunt JCti *ex proœm. Inſtitut. & l. 2. C. d. his qui veniam ætat. impetr.* quod propria laus ſit licita, præſertim neceſſaria, inprimis pro defenſione famæ, cum vita & fama pari paſſu quodammodo ambulent *l. 9. ff. d. manum. vind.* quo ipſo tamen ſerio rejicimus vanitatem eorum, qui admiratio ne ſui inflati magnificis ſeſe præconiis efferunt, & thraſonice oſtentant aliis; tum, quod a virtute bonorumque virorum officio aliena eſt ea jactantia, tum vero etiam quod jactandis ejus modi glorioſis verborum

borum ac laudum propriarum ampullis assvefacti, infaustum quendam insolentiæ & superbiæ habitum induunt, sibi ac Reipubl. exitiosum, Schneidewin. *in comment. ad §. 1. proœm. Instit.* Ista vero Philautia, quæ de seipsa honeste & modeste loquendi rationem habet, minime improbatur. Ita Plutarch. *d. sui laude: Credi & haberi pro probo, causam & occasionem* plurium pulchriorumque *parit facinorum* & Augustus Imperator ingenia sui seculi omnibus modis fovit, ac teste Tranquillo, *componi aliquid des nisi & serio & præstantissimis offendebatur*, in quæ verba Lipsius: SERIO, inquit, *non per ludos & mimos:* A PRAESTANTISSIMIS, *non ab ingeniis passivis, aut plebeiis, sed quæ genium aliquem æternitatis a se haberent.* At quod palmarium est; addit talis Philautia *stimulum virtutis.* Non enim intra modestiæ fines tantum se continet, sed & nunquam satis pro dignitate laudari poterit, qui suæ gloriæ virtutumque commemoratione alios ad virtutes acritar cohortari, a vitiis ardenter revocare conatur. *Exhortatio*, inquit Plutarch. *c. l. quæ factum verbis conjunctum habet, exemplumque proprium, ad imitationem invitans, animata est & movet atque exstimulat, & cum impetu ac proposito animi, spem etiam consequendi & potiundi eius, ad quo impellimur, certam injicit.*

THES. III.

Ille ipse Amor sui permittit pro merito virtutis ambire *titulos*, & impetratos gerere. Quod jure divino & naturæ moreque gentium licet, Apost. Petrus *1. Epist. c. 2. v. 17.* præcipit, omnes honore prosequi, præcipue Regem. Id vero & per titulos fieri posse nemo ambigit confer. *Rom. 8.* Dn. Rechenberg. *schediasm. d. natur. & usu*

titulor. aphor. 7. §. 1. & sana ratio laudat ordinem personarum titulis distinctum, ne confusione dissolvatur societas: Plinius *l. 9. ep. 5.* laudat Turonem, quod discrimina ordinum dignitatumque custodierit: *Quæ* inquit, *si confusa, turbata permista fuerit, nihil est ipsa æqualitate inæqualius.* Non dicam jam de abusu titulorum ac luxu, qui partim ex prava philautia & vitio civium invaluit, de quibus bene Drexelius *in aurifod. part. 3. c. 5. Ingens* inquit, *hac tempestate titulorum insolentia est & confusa. Incrementis illi mirandis augentur. Jam etiam imi subsellii viros & Strenuos, & Nobiles, ac Prænobiles, Illustres, Perillustres, Gratiosos compellamus. Quo domum altitudinis pertingent. Bernhardi ævo licebat dicere:* Domine Papa; *tu jam ceteris conjecta.* add. Barclas. *Icon. animor. c. 3.* Lansius *consultat. contr. Ital.* Sed hoc addimus, quod pro defendendo, vindicando vel revocando titulo in jure dentur remedia tam *Judicialia*, quam *extrajudicialia.* Et quod illa attinet, competit actio injuriarum, injuriam enim committit, qui in contumeliam alterius quicquam molitur, *l. 1. d. injur.* Item actio ex L. diffamari, quae instituitur adversus eum, qui aliquem per ora hominum traducit, atque titulum denegat *l. 5. C. d. ingenuis manumiss.* Dn. Clotz. *d. titul. honorific. cap. 14. §. 4.* Extrajudicialia remedia sunt, quibus moneri solent illi, qui debitos titulos ex tumore quodam vel ignorantia non assignant. Sic Electorem Saxoniae literas non resignatas legato Pontificis restituisse legitur. Chytreus *in Saxon. lib. 2. fol. 525.* Pompejus Columna Julii Pontificis literas, titulo *Episcopi Reatini* non signatas, rejiciens ad Præconem dixit: quod alibi is Pompejus, ad quem Il. Pontifex scripsit, sit querendus, se esse Episcopum Reatinum

tinum Clapmar *d. simul. Imper. lib. 6. c. 6.* Dux Sabaudiæ, qui, cum titulus *Excellentiæ*, in filiis suis ei non satis honorificus fuisset, legatos venetorum a publicis sacrorum ceremoniis excluſit, non dissimulata causa: quod nempe titulum *Celsitudinis* modo impetratum, omisissent Lans. *in Orat. contr. Gall.* Item Episcopus Wurzburgensis ob prædicatum Ehrwürdig adscriptum, tabellarium protracta responsione detinuit, & in præsentia tabellarii, suis admirari præcepit æqualitatem tituli inter Episcopum & Parochum, Limmæus *ad. Cap. Caroli V.* Dn. Clotz. *d. l.* Et quem latet Principes consveviſſe armis titulorum usum revocare & impedire, quem modum exercuere fratres Germani Henricus & Ludovicus e domo Bavarica procreati Avent. *in lib. 7. Annal. Bajor. p. 710.* Fridericus II. Elector Brandenburg. contra Duces Pomeraniæ, Limnæ *lib. 5. c. 7. Juris Publ. n. 89.* Idem testatur sangvinolentum istud bellum inter Reges Sveciæ ac Poloniæ, quod maxima ex tituli parte ortum observatur, vid. *caus. enarration. ob quas S. P. Rex Sveciæ Regem Poloniæ bello adoriri coactus est p. 9.* cui adde *Pacificat. Svec. Polon. art. 3.* ubi armis depositis sic convenerunt: Quod si ad exteros scriberetur, integer permaneret titulus: in aliis vero *inter se* commutandis, post verba: *Magnus Princeps Finlandiæ, & Magnus Dux Lithuniæ:* tres etcæterationes adjungi deberent. Clotz *d. l.* De titulo *Nos DEI gratia*, quis isto legitime uti possit, vid. binas dissertationes Dn. D. Geisleri de ista materia per totum.

THES.

THES. IV.

Et honoris illa & laudis cupiditate omnium generosorum præcordiis innata de *Præcedentiis* certare semper glorioſum fuit habitum, imo cunctis hominibus natura inſita eſt gloriæ aviditas. Optimi enim Mortalium altiſſima quæque cupiunt, dicente Tacit *4. Annal.* Tactanda via eſt, qua me poſſim

Tollere humo victorque virum volitare per ora.

Virgil. ut proinde hæc Philautia circa præcedentiam naturalis ſit, neque adverſetur juri divino. Naturalis eſt, inquam, cum natura habeat propoſitum ſibi finem *bene vivere*, bene vero vivere non videtur, qui vivit incommode: Sunt igitur in pretio apud omnes, qui diſtribuunt hominibus commoda, tales autem ſunt Potentes, Sapientes, Benigni, Piique, prout differrit Freinshemius *de præced. Diatrib. 2. §. 10.* & ipſa natura, & inde deductum jus dignitatis characterem poſuit, dum hominem cæteris animantibus excellentiorem dedit, quippe cum, dicente Cicerone *lib. 1. d. legib.* cæteros animantes abjeciſſet ad paſtum, ſolum hominem erexit, & ad cœli quaſi cognationis domiciliique priſtini conſpectum excitavit, idem canit Ovidius:

Pronaque cum ſpectent animalia cætera terram:
Os homini ſublime dedit, cælumque tueri
Juſſit, & erectos ad ſidera tollere vultus.

Et Speron. *diſcurs. d. præced. princip. in pr.* Omne, inquit creatum ſurſum tendit; hinc DEVS os homini ſublime dedit. Jure divino jubemur honorem & præcedentiam tribuere Regibus *1. Petr. 2. v. 17.* Dominis *1. Timoth. 6. v. 1.* Magiſtratibus *ad Roman. 13.* Parentibus *Exod.*

20.

20. v. 12. Doctoribus pietatis *1. Timoth. 5. Act. 5. v. 34.* quæ loca clare oſtendunt ordinem & præcedentiam. Neque pugnant iſta: Humilitatem eſſe colendam; & eſſe gradus & ordines, quos licitum eſt tueri non aliter ac reliqua bona, modo id fiat ſine faſtu, moderate. Hinc Menoch. *conſ. 51. n. 3.* ait: Qui non ambitu ac ſuperbia de ordinis obſervatione contendit, laudem meretur, Arum. *ad Aur. Bull. diſcurs. 4. th. 1. poſt. med.* Etiam inferioris fortunæ hominibus, quibus interna generoſioris naturæ flammula reſtabat, maxime vero illis, quibus illuſtrioris dignitatis character externe poſitus, hoc certamen fuiſſe, omnium temporum hiſtoriæ teſtatum faciunt. D. Schütz *d ſtat. Rei Roman. vol. 1. diſput. diſp. 8. th. 12.* Inter ipſos Chriſti diſcipulos quosdam de præcedentia notamus apud *Marcum c. 9. v. 33.* & ne dum inter Opifices hodienum litigia ejusmodi ſubſellia Judicum perſonant; non dicam de aliis eminentioris conditionis hominibus, quem enim latet, inter Doctores Juris & Medicinæ de præcedentia fuiſſe controverſiam? De quæſtione enim iſta, *an Doctor juris in ſeſſione, ſtatione ac proceſſione, Medicinæ Doctori ſit præferendus* plures plura ſcripſerunt, inter quos videri poſſunt Tiraquell. *d. lib. cap. 3. n. 359. & ſeqq.* Et pro Doctoribus Juris deciſio eſt affirmativa; non quidem ex calumnioſo dicterio: Præcedant fures, ſequantur carnifices; cujus meminit Agrippa *d. vanitate ſcient. cap. 82. pag. 297.* ſed argumentis ab utilitate & neceſſitate, dignitate, objecto & poſſeſſione deſumtis, quæ vide apud Carpzov. *part. 1. deciſ. 7.* Philipp. *in uſu practic. libr. 1. eccloq. 25.* & ita Scabini Lipſienſes anno 1643. pronunciarunt: Hat Titius vor etzlich 20. Jahr auf einer berühmten Univerſität in Teutſchland in Doct. Medic.

promoviret, nach diesem an unterschiedenen Oerthern in bestallung sich eingelassen, und endlichen vor 16. Jahren sich in einer gewissen Stadt niedergelassen, alda Er auch von dem Rathe zum Stadt-Physico, nach abgelegter Pflicht bestellet worden, und hat sich ingleichen Cajus vorlängsten auf einer Universität ad consequendos in utroque jure honores habilitiret, und in selbiger Stadt den studio practico obgelegen. Nachdeme Er aber nunmehr vor wenig Monat auf berührter Universität den gradum Doctoris erlanget, will Er bey öffentlichen Zusammenkünfften, Processionen und Sessionen in der Kirchen, und sonsten, dem Titio, vorgreiffen, und die Oberstelle haben, welches Ihme Titius nicht einzuräumen gemeinet, sondern deswegen eine Injurien-Klage wider Cajum anzustellen gesonnen ist. Ob nun wol Titius viel Jahr vor Cajo den gradum Doctoris erlanget, zum Physicat in vorbemeldter Stadt bestellet ist, Cajus inzwischen, als Er bereit Licentiatus juris gewesen, geschehen lassen, daß Titius die Ober-Stelle bey allen Actibus vor Ihm gehabt, dahero Titius in possessione vel quasi der præcedentz fundiret zu seyn vermeinet, Cajus auch in keinem officio publico sich befindet, sondern nur advocando den Leuten, bedienet ist, und was ihr mehr auf Titii seiten anziehen thut. Dieweil aber dennoch die jurisprudentia bey dem gemeinen Leben und zu Erhaltung des geistlichen und weltlichen Regiments mehr nothwendig und nützlich, und dahero der Dignität selber, der Medicinischen Facultät nicht unbillig vorgezogen, solches auch auf denen Universitäten in gemein in acht genommen wird, und über dieses dasjenige, was zuvor und ehe Cajus den

gradum

gradum Doctoris erlanget, fürgangen, nach erlangten gradu keine posses geben kan ꝛc. So wird Cajo nunmehro die Oberstelle von Titio bey öffentlichen Actibus und Sessionen billich gelassen, und ist demnach Titius Cajum injuriarum zu belangen nicht berechtiget, V. R. W.

THES. V.

Solent & Ecclesiastici ordinis homines circa honorum aucupia valde ambitiosi esse Lancell. Conrad. *in templo omn. judic. lib. 2. per tot.* id quod etiam inferiorum clericorum quotidianæ fere disceptationes testatum faciunt; Sic privati Monachi de hac gloria disceptant Gratian *decis. Rot. March. 232.* quorum lites peculiari bulla componere necessum visum fuit Pontifici Gregorio XIII. Aloys. Ricc. *decis. Archilur. Neapol. 131.* Ita Fratres S. Spiritus in Saxia Benedictinos præcedere satagunt Gratian, *dicept. for. c. 845.* Acriter disputarunt de præcedentia Fratres Cappucini cum fratribus S. Francisci Diœcesis Trigalitentium Aloys. Ricc. *in prax. var. resol. 101. & 102.* Imo quod magis mirandum, iste præcedentiæ amor etiam *fratres Medicantium* animos, licet uniusdem ordinis, invasit, Lancell. Conrad. *d. tract. lib. 2. c. 9. num. 4.* ubi ordines Monachorum aliorumque Religiosorum referuntur. Scil. Monachi S. Blasii primi sint; post eos Monachi S. Benedicti, demum alii monachi antiquiores. Est post monachos Canonici Regulares, atque inde Fratres Medicantes secundum ordinem; sed & Episcoporum atque Archiepiscoporum quæstiones de præcedentiis eadem litigia demonstrant. Neminem enim latet, Abbatis Fuldensis cum Archiepiscopo Colo-

 nienſi

nienſi de ſeſſionis jure altercatio. Cum enim Henricus III. Imp. Moguntiæ in Comitiis inter utriusque ordinis Principes ſederet a dexteris habens Moguntinum, a ſiniſtris Colonienſem, Fuldenſis cœtum turbavit, tam celebrem locum a ſiniſtro Imper. latere, quem Colonienſis occupaverat, ſibi depoſcens, ubi poſt verba ad verbera deventum eſt, & jura e vagina derivantes, templum humano ſanguine fœdarunt Beſold. *in diſcurſ. d. præcedent. & ſeſſion. prærogat. n. 11.* Wolff. *lect. memorab. cent. 15.* Romani Pontificis & Conſtinopolitani Patriarchæ æmulationes haud ſunt ignotæ, *vid.* Limnæ *d. jur. publ. lib. 4. c. 9. n. 47.*

Thes. VI.

Inter ſeculares Principes, quamvis Imperator jure Seſſionis omnibus Chriſtiani orbis Principibus potior ſit Arnis. *lib. 1. d. Majeſt. c. 2. n. ult.* cum inter mortales ſit maximus, Chaſſan in Catal. mundi *p. 5. conſid. 27.* præcedentiam tamen omnium primo Imperatori in controverſiam duxit Imperator Conſtantinopolitanus, Goldaſt. *tom. 1. Conſtitut. Imper. pag. 285.* & Adrianus IV. tempore Friderici I. Imperatoris, Goldaſt. *de Senior. l. 1. c. 23. n. 4.* Iniqua vero Philautia eum ſequutus eſt Galliæ Rex, Imperatori Caroli V. litem movens Caleti ob præcedentiam, & porro Galli controverſias plus vice ſimplici movere Legatis Imperatoriis de digniore loco in Aula Ottomannica non dubitarunt, pro Imperatore vid. Arumæ *tom. 2. jur. publ. diſc. 1. in fin.* Carpzov. *d. Leg. Reg. German. c. 13. ſect. 10. n. 25.* D. Martini *de Proœdria Regis Romanor. th. 57. & ſeqq.* ubi probe notat, Imperatoris noſtri Legatos in aula Turcici Tyranni non niſi Hungarici

&

& Turcis Tributarii Regis legatos haberi, quo quidem nomine mirum non est, si Galli cedere & honoratiorem ipsis locum relinquere noluerint. De reliquorum Principum Europæorum præcedentiis angustius hac vice spatium est, ut differamus. De præcedentia inter Cardinales & Galliæ Principes vid. Bulenger *Histor. fol. 17.* de S. Romani Imperii Electorum & S. Romanæ Ecclesiæ Cardinalium præcedentia vide *quinque diatribas* Freinshemii. In Comitiis Imperii fere singulis litigia de præcedentiis moventur, ut optandum esset, nova quadam constitutione cum Electorum & Principum consilio & assensu huic rei salubria afferentur remedia, vid. Arum. *d. Comit. cap.* 7. quam noxales vero sint istæ controversiæ, & qualia inferant incommoda, lege sis apud Schüz. *vol. 1. Stat. rei Roman. disput. 8. thes. 12.* quemadmodum talibus certaminibus multos confœderationum contra Turcas ineundarum causa, in Italia institutos conventus absumi & retardari Rex Hispaniæ olim conquetus fuit, Wehner. *tract. d. metamorph. Rerumpubl. c. 7. fol. 89.* & cum nobis non sit propositum, de cujusvis Domus & Familiarum controversiis circa precedentiam hisce pagellis differere, Lectorem ad Alios remittimus; scripsere autem de Jure præcedentiæ præter allegatos D. Crusius *de jure proædrias*, integrum eumque egregium tractatum, de Controversiis præcedentiæ Spenger *in prætensionib. Illustrib.* Hippol a Treisbach. *d. jure præced. Ordin. Equestr.* D. Jessen *dissert. inaugur. Argentorat. habit de jure præcedentiæ*, Dn. Stosch. von præcedentien. Neque mirum est præcedentiae cura angi Principes; Horum enim proprium est de honore & gloria certare Marzar. *consil. 26. n. 4.* Cæteris mortalibus in-

eo ſtant conſilia, quid ſibi conducere putent; Principum diverſa eſt ſors, quibus præcipua rerum ad famam dirigenda, Tacit *4. Annal.* Vaſqv. *in præfat. controv. illuſtr.*

THES. VII.

Eo autem procedit Amor ſui circa præcedentiam, ut jus præcedentiæ extra judicium inculpatæ tutelæ moderamine ſervato armis vindicare ac tueri licitum exiſtimetur; cum ſit turbatio bonorum, Pancirol. *conſil. 6. n. 2.* imo ipſius Reipublicæ; ipſam enim Rempublicam turbat, qui debitam ſeſſionem denegat Arum. *d. Comit. c. 7. n. 100.* qualis turbatio cum vim includat, vi quoque repelli poteſt Lancell. Conrad in *templ. judic. lib. 2. c. 9. n. 4.* adeo ut ſi, quiſpiam defendendo locum ſibi debitum, in cujus quaſi poſſeſſione exiſtit, adverſarium prohibentem occidat, ordinaria pœna haud puniatur juxta Pancirol. *conſil. 6. n. 2.* Fab. de Anna *conſil. 40. n. 10.* Gratian *diſcept. forens. c. 110. n. 20. & 2.* quamvis Galliæ JCtus Loyſeau au traicté des *Ordres ch. 1. n. 38.* exiſtimat, benignius dignitatis prærogativam defendi debere humanitate & civilitate potius, quam arrogantia, Rumelin *ad Aur. Bull. part. 3. diſſert. 1.* ibique D. Myler *lit. b.* ubi exempla refert. Imo & *bello* licet vindicare. Cum *Maximilianus II.* Imperator Carol. IX. Galliarum Regis Legatis præcedentiam denegaſſet, hanc inſignem injuriam ad bellum Hiſpano movendum ſufficientem eſſe, Galliæ Admiralius Coſtilius Regi ſuo operoſe perſvadere conabatur, Thuan. *lib. 35. & 49.* cumque Carolus V. Aquisgranum petierat inaugurationis cauſa, Dux Clivienſis *Johannes* equites adauxerat quadringentos inſigniter armatos, ipſi contentio multa fuit cum Saxonicis, utri præce-

præcederunt: Ita quidem, ut pompam illam, qua vix ullam Germania viderat illuſtriorem, nox interpellaret, Joh. Schleidan. *lib. 2. hiſtor.* Carpzov. *ad L. Regiam cap. 10. ſect. 7. n. 27.* Plura vid. apud Chaſſan. *catal. glor. mund. part. 1. conſ. 2.* Menoch. *conſil. 257. v. 55. lib. 3.* Maſtril. *d. Magiſt. l. 4. c. 14. l. 5. c. 4.* P. Moronus *in tract. qui inſcribitur, centum Reſponſa centum quæſitis Reſpont. 5. pag. 42.* Circa hanc autem controverſiam, an *præcedentia ſufficientem præbeat materiam bello;* placet diſtinctio D. Martini Icti & Profeſſoris Chilonienſis *de Proedria Regis Germanorum thes. 30.* Videtur, *inquit*, in præſenti negotio omnino diſtinguendum, & ponendi duo hi caſus: Aut litem hanc movent duo Principes, hactenus ita pares, ut, utri prærogativa hæc debeatur, merito poſſis adhuc dubitare? quo caſu videtur omnino dicendum, motum inter tales ob ſolam hanc προεδρίαν bellum a patre primi lædentis fore injuſtam, propter defectum ſcilicet cauſæ materialis, quæ minus hic eſt, aut videtur ſaltem ſufficiens. Adde, quod nullam plane, inter Chriſtianos præſertim, juſtum poſſit dici bellum, niſi quod inevitabili neceſſitate (qualis hic quidem nulla poteſt fingi) ſic jubente ſuſcipiendum Quod ſi vero aut jure meliore ſubnixo, aut in prærogativæ hujus poſſeſſione vel quaſi conſtituto Principi alius per vim jus ſuum vellet eripere, quoque minus illo libere utatur, prohibere præſumeret, annon juſtum arma expediendi cauſam daturus eſſet læſo, non ita multum dubio; quod tum minus quidem dubitationis habet, quando injuria aut contumelia inſuper acceſſit. Plane quemadmodum privato, ob ereptam turbatamve poſſeſſionem, ſua non deſunt, quibus experiatur remedia, quæcunque tandem illa ſint;

sint; Ita Regibus & Principibus, quique illis par jus obtinent, bello (si juri quidem suo stricte velint inhærere) uti non est prohibitum, cum quot actionum forensium sint fontes, totidem sint quoque belli, & ubi judicia deficiunt, incipiat bellum, ceu docet Grotius *lib. 2. d. jur. bell. & pac. c. 1. §. 2.* adde quod iniquitas partis adversæ justa bella ingerat, utloquitur Augustin. *n. l. d. civit. Dei. lib. 4. c. 4.* Christianis interim hic quoque summopere cavendum, ne quid temere auslevi de causa fiat. An autem liceat privatis propter præcedentiam duella suscipere, vid infra Caput ultimum.

THES. IIX.

Quoniam etiam negari haud poterit, per convitia & maledicta, ex vulgi opinione, licet absque causa, de injuriatis prænaturam concipi suspicionem, & sic famam alicujus & existimationem, si non aliqua macula, saltem siniſtra opinione affici & contaminari injuriatum, juxta illud Comici: *Calumniare audacter semper aliquid hæret*, nec minus periculi est semper tacere, quam nunquam, ut ait B. Hilarius *in Psalm. 133.* ea propter naturali rationi non inconveniens videtur, ut quicquid sordium & convitiorum in nos prolatum, eadem via eodemque modo in caput maledicum redundet, Cothman. *vol. 4. cons. 11. num. 114.* Hinc est quod RETORSIO, tanquam species defensionis ex amore sui orta, non minus quam privata rerum vindicatio licita habeatur. Id quod calculo suo approbat Aristotel. 2. *Rhetor 2. referentes injuriam non afficiunt injuria, sed vindicant injuriam* & Excellentissimus Dn. Velthemius, Moralium Professor in alma hac Salana celeberrimus *in elegantiss. introduction.*

duction. ad opus Grot. d. Jur. bell. & pac. lib. 2. cap. 17. in quæstione: An retorsio injuriarum sit medium, quo privato naturaliter liceat uti ad reparationem damni injuria dati adversus honorem & famam? accurate argumentatur hoc modo: *Si retorsio injuriarum datur, quæ ad reparationem damni adversus honorem seu famam injuriis dati sufficit, & tamen nulla circumstantia in talismodi retorsione ostendi potest, quæ per se fundet turpitudinem, sequitur, talismodi retorsionem injuriarum esse medium, quo privato naturaliter liceat uti ad reparationem dami injuria dati adversus honorem seu famam. Prius tamdiu verum est, donec talis circumstantia monstretur, id quod nunquam futurum esse certo confidimus.* & hæc legitima retorsio sit non ultionis, sed defensionis, & ab injuria nos liberandi gratia, neque nostris demum temporibus primas egit radices, sed ab omnibus retro seculis in hoc usque tempus retaliatio, qua quis quod in se acerbius immodestius, imo injuriosius prolatum est, in Autorem suum retorsit, usu & consuetudine seu jure non scripto ac sic jure civili recepta est Bene Divus Hieronim. *ad Ruffin. Nihil* inquit, *super hoc audies nisi illud e trivio, cum dixeris quævis, quæ non vis audies.* Idem *si aliquid ad defensionem meam scripsero; sit in te culpa, qui me provocasti: non in me, qui tibi respondere compulsus sum.* Item, *non ego tibi, sed causa causæ respondeo, etsi culpa est respondisse: quæso, ut patienter audias: multo majus est provocasse,* huc facit illud Homericum *ex Iliad 20.*

Qualem protuleris sermonem: talem audies.

& Terentii in Andria: *si mihi pergit, quæ vult dicere: quæ non vult audiet:* Neque hæc retorsionis doctrina contrariatur juri divino, quantum ad defensionem

famæ attinet, sed ipso potius consentanea est; Non solum enim Propheta Jeremias *c. 37. v. 14.* in præfectum portæ insimulatum desertionis crimen per verba *falsum est, ego non transfugio;* germanice Lutherus ita interpretatus, das ist nicht wahr, ich will nicht zu den Chaldäern fallen, & *1. Regum 3. vers. 22. & 23.* Meretrix cujus filius vivebat, alteri meretrici sic ait: *mentiris.* adde *proverb. 26. v. 5.* legitime retorserunt, sed summus quoque Justiciæ Sacerdos atrociſſimam calumniam, quam judæi, teste Evangelista Johan *cap. 8. v. 48.* in eum projecerant: *Nonne bene dicimus te Samaritanum esse & dæmonium habere,* in ipsos continenti retorsit, regerendo: *Ego dæmonium non habeo: sed honoro Patrem meum & vos contumelia me afficitis.* Item *vers. 54. & 55.* Judæos mendacii arguens dixit: *Ego autem novi Patrem, & si dixero me non nosse,* ἔσομαι ὅμοιος ὑμων ψεύστης, quod Lutherus germanice reddidit So wehre ich ein Lügner gleich wie Ihr seyd. Ubi tamen certos limites retorsioni positos invenimus; Scilicet defensionem hancce non ulterius debere progredi, quam facta fuit offensio; neque enim unquam injuria alio modo debet repelli, quam quo illata est, Berlich *concl. 64. n. 23.* nec, si injuriatus retorquendo aliud regerat crimen, vel aliis verbis forte atrocioribus, diversum delictum implicantibus, injuriantem reverberat, ejusmodi retorsio valet, quia nulla injuriarum datur compensatio, sed fit cumulatio; Gail. *lib. 2. observ. 100. n. 9.* Mynsig. *5. observ. 17. n. 5.* Mevius *ad. Jus Lubecens. lib. 4. tit. 4. art. 10.* quod Dominicus Soto exemplo illustrat: *Postrema,* ait, *supereſt quæstio, utrum, quando resistere licitum est, tunc fas sit pro una susceptа contumelia aliam reponere? appellat me quispiam latronem, ap-*

pello

pello eum ſicarium, notat meum genus, noto ego ſuum ingenium & mores: Et reſpondetur inprimis, nunquam licere verum crimen, multo minus falſum objicere, eſſet enim mendacium, idemque pernitioſum d. juſt. & juſt. lib. 5. qu. 9. art. 3. debet quoque fieri retorſio in continenti ſeu ex illo, quo quis injuriam certo reſcivit, & retorquendi copiam habuit, Mod. Piſtor. *cons. 3. n. 34. vol. 2.* Gail. *lib. 2. obſ. 101. n. 5.* Quibus omnibus recte ſervatis fama ac honor in opinione aliorum ſervatur incolumis. Non enim delinquit, qui propriæ ſalutis ac honoris defenſor exiſtit *l. 3. C. d. ſicar. l. 18. d. injur.*

Thes. IX.

Philautia defendit famam quocunque modo ab aliis contumelia arroſam, doletque ſi vel immediate vel mediate injuria ſibi inferatur, neque patitur de ſe vel aliis humanitatis vinculo conjunctis aliquid injurioſi proferri. Hinc non ſolum ſi pudicitia propria, (de qua in proxime præcedenti capite theſi XVII. actum) ſed etiam ſi aliena pudicitia violetur, eam ulciſcitur. Cum autem nullus affectus vincat paternum *l. 7. C. d. curat. furios.* & parentes in perſonis liberorum magis terreantur, quam in ſeipſis, Pater ſtupratorem, qui violata filiæ pudicitia injuriam non modo perſonæ violatæ, ſed etiam toti familiæ infert *arg. l. 11. §. 3. ff. ad L. Jul. d. adulter.* impune occidit *l. 54. in pr. C. d. Epiſcop. & Cleric. l. unic. C. de rapt. virgin. Conſtit. Crimin. artic. 150.* ibi: als da einer jemand um Unkeuſcher Werck willen, die Er mit ſeinem Eheweib oder Tochter übet, erſchläget. ꝛc. & Maritvs, ut genitalis tori vindex, quemadmodum appellatur a *Conſtantino in l. 30. & Alexandr. Imper.*

in l. 4. C. ad L. Jul. d. adult. ſtupratorem uxoris absque metu pœnæ interficit, *Ord. Crimin. cit. loc. & art. 142.* ibi: Da einer einen Unkeuſcher werck halben bey ſeinem Ehelichen Weibe ꝛc. fünde und darumb gegen denſelben Ubelthäter tödliche Handlung, Zwanck oder Gefängnüß, wie die Recht zulaſſen, fürnehme ꝛc. injuria quippe uxori, quæ pars corporis mariti dicitur *can. 8. cauſ. 32. qu. 2.* & cum ipſa caro una cenſetur *c. 5. X. de bigam.* illata, cenſetur & ipſi marito inuſta §. 2. *Inſt. de injur.* hinc SPONSVS quoque propter fidem conjugalem & vim mutui conſenſus recte vindicat ea, quæcunque in ſponſæ contumeliam fiunt *l. 15. §. 24. ff. d. injur.* Sic Maritus ac Sponſus juſte vindicant oſculum ab alio uxori aut Sponſæ per vim impreſſum, præſertim ſi factum ſit in loco ſuſpecto aut remotis hominibus; illata enim eſt injuria, cum ejusmodi oſcula ſint characteres luxuriæ, nuncii futuri concubitus & progymnaſmata impudicitiæ, & adulterii præambula, ſicuti percuſſio præparatorium eſt homicidii, Angel. *l. 2. col. fin. ff. d. privat. del.* & quinta via ad fornicationem Thom. Cantipratan. *in lib. 5. qui inſcribitur Bonum univerſale lib. 2. c. 30. §. 49.* Dn. Præſes *in commentat. d. Oſculo Sancto cap. ult.* & deoſculans actione injuriarum poteſt pulſari, D. Strauch. *ad Jus Juſtinian. diſp. 19. aph. 14.* & extraordinarie puniri, Farinac. *qu. 142. n. 154.* Jul. Clar. *qu. 88. §. ult.* D. Stryke *d. jurib. ſenſuum diſſert. 7. c. 5. n. 10. & ſeqq.* adeo ut Vaſallus ob oſculum libidinoſum feudum poſſit amittere Matth. d. Affict. *ad §. item ſi fidelis. 1. feud. 5. n. 30.* Borcholt. *d. feud. lib. 1. cap. 8. n. 99.* Præſupponitur hic tamen actus, qui amatorium & criminoſum facit oſculum, neque moribus vel conſvetudini contrariatur. vid. Dn. Præſes

d. l.

d. l. Et generaliter circa vindicationem injuriarum, uti supra dictum, sciendum est, quod injuriam vindicare possimus, si vel immediate in propriam personam, vel mediate & per consequentiam per alias personas, vel ratione potestatis nobis subjectas vel ratione affectus nobis illata sit *textus est in* §. 2. *Inst. d. injur.* ita ut quandoque ex una injuria quadruplex oriatur actio, neque una consumatur vel tollatur per alteram v. g. *Catharina*, quæ filia est *Caspari M.* & uxor *Johannis* T. qui Patrem adhuc in vivis habet *Jacobum* T. a *Sticho* vocatur meretrix, & sic contumelia afficitur. Tunc uxor habet actionem injuriarum, eandem Maritus habet, uti & Johanni patri, nec non Caspari M. socero actio competit, *d.* §. & *l.* 1. §. *ult. ff. d. injur.* Farinac. *lib. 3. prax. crimin. qu. 105. n.* 253. Quod tamen ad Fratres aliosque consanguineos & Affines sive criminaliter sive civiliter experiaris, extendi minime potest, vid. D. Philipp. *in us. practic. ad Inst. lib. 4. eccloq. 29. ubi n. 15.* præjudicium adducit.

Thes. X.

Philautia, studiosissima famæ, excusat quoque id, non quidem in totum, tamen in tantum, quod alias pœnam meretur. Notum enim est quod Receptatores facinorosorum seu delinquentium arbitrarie D. Theodoric. *in colleg. crimin. disp. 3. th. 15. lit. C.* & extra ordinem arbitrio judicantis puniantur *l. 2. C. d. his qui latron.* Ludovic. Carer. *in pract. in 3. tract. d. homicid. & assassin.* quæ sententia communis est, teste Petr. a Plach. *in epit. delict. cap. 10. n. 5.* Si tamen Pater vel cognatus vel affinis filium vel cognatum vel affinem receptat vel occultat, lenior ipsis pœna irrogatur *per l. 2. ff. d. receptator.*

ibique Weſenbec. Si enim ex amore ſui ſangvinem ſuum quomodocunque redimere licet *l. 1. ff. d. his qui mort. ſibi conſc.* utique & vitam ſuorum cognatorum & officium redimere licebit, per ſupra tradita & DD. *in l. 4. ff. d. juſt. & jur.* ignoſcendum aliquo modo eſt iis, qui conſilium pro tuendis ſuis capiunt *l. 22. ff. ad L. Jul. d. adult. l. milites ff. d. re militar.* & ita reſponderunt JCti Lipſienſes: Hat der alte P. B. geſtanden und bekandt, daß Er in 8. Tage lang wiſſenſchafft gehabt, wie daß ſich ſein Sohn, welcher gedachten Studenten von Adel entleibt, in ſeiner Behauſung aufgehalten, und ſolches wieder beſchehenes Verbot nicht angezeiget ꝛc. So wird der alte P. B. derowegen um 2. neue Schock in Straffe genommen V. R. W. Eadem de cauſa, quamvis ſubditi a Magiſtratu requiſiti, ubinam delinquens latitet, ipſum debeant indicare, vel, ſi ignorantiam prætendant, juramento ſeſe purgare, cum Reipubl. interſit, delicta puniri *l. 5. ff. ad L. Aquil.* & absque medio delinquens vix prehendi & pœnæ promeritæ tradit poſſit; Nihilo tamen minus Parentes ac conſangvinei, qui ad teſtificandum contra liberos & conſangvineos non admittuntur *l. Parentes C. d. teſtib. ibique Salyces.* ob metum perjurii ad indicandum delinquentem non poſſunt compelli, & ita reſponderunt JCti Lipſienſes teſte Carpzov. *p. 3. quæſt. 134. num. 25.* Nec minor ratio eſt, quare Parentes vel conſangvinei ob ſolam ſcientiam delicti jam commiſſi, ſi id non revelarint, pœna affici nequeant, cum iſtarum perſonarum plurimum intereſſit, familiæ ſuæ famam conſervari, vel per irrogationem ſupplicii ignominioſi non dedecorari, aut injuria aliqua affici *arg. l. 2. de receptat.* & alias ignoſcendum eſt illis,

illis, qui consilium pro tuendis suis capiunt *l. 22. ff. ad L. Jul. d. adult. l. milites ff. d. re milit.* ita pronunciarunt Lipsienses in casu, quo Parens filiæ suæ imprægnationem occultaverat, eamque sponsam habitu virginali deduci permiserat: So viel aber der Dirnen Vater verlanget, ob wohl derselbe, wie es umb seine Tochter bewandt, wohl gewust, und gleichwohl dieselbe in ihrem Krantz und garwohl geschmücket, wie eine Jungfrau, zur Kirchen und Strassen gehen lassen. So mag Er doch derentwegen, gestalten Sachen nach, weil niemand seine eigne und der Seinigen Schande und Unehre zuentdecken schuldig, in Straffe nicht genommen werden V. R. W.

CAPUT IV.

DE PHILAVTIA

CIRCA

RER ET FORTVNAS.

THES. I.

PHilautia circa res & dominia multas teste experientia gignit controversias & litigia; Amicitia enim apud plurimos tamdiu durat, donec veniatur ad *meum & tuum.* Hoc autem loco Res considerandæ veniunt, vel ut sunt *acquirenda* vel *restituendæ*, ut vel *acquisitæ.* Et quidem Philautia maxime elucet in contractu *emptionis venditionis*, cujus justitia ex justo h. e. rei emtæ æquivalente pretio æstimatur Aristol. *l. 5. Eth. 7. 8.* adeo ut si pretium non sit proportionatum, emptio non subsistat. Quoniam vero amor sui quemlibet eo adigit, ut vilius emat, &

& alterum ut carius vendat, juſtum pretium accipiendum pro rerum natura & conditione ſortis humanæ, non per ſe, ſed civiliter Magnif. D. Struvius *in ſyntagm. jur. civil. exerc. 23. th. 19.* ita ut juxta Ulpiani & Pomponii mentem *in l. 16. §. 4. ff. d. minor.* in pretio emtionis & venditionis *naturaliter* liceat contrahentibus circumvenire, cui conſonat Paulus in *l. 22. §. ult. ff. locat. cond. quemadmodum*, inquit, *in emendo & vendendo naturaliter conceſſum eſt, quod pluris ſit minoris emere: quod minoris ſit pluris vendere, atque ita ſe invicem circumſcribere: ita in locationibus quoque & conductionibus juris eſt* de qua ſententia ita differit Fr. Dav. Argent. *ad l. 2. C. d. reſcind. vendit.* Dictum Pomponii latius vel ſimplicius intelligitur de inclinatione & affectu vel uſu communi & naturali, quem vulgus hominum habet in contractu emtionis, ad quem emtor viliori pretio emendi, venditor cariori pretio, diſtrahendi animo & voto accedunt *l. 8. C. d. reſc. vond.* Simile eſt illud Auguſtini *l. 3. d. Trinitate.* Commune eſt omnium deſiderium a natura vili emere, & magno vendere. Rex Sapiens in Proverb. malum eſt, malum eſt, dicit, omnis emtor, & cum receſſerit, tunc gloriabitur &c. Hoc innatum & naturale eſt huic contractui, ut non per dolum & machinationem, ſed per mutuam & tacitam contrahentium indulgentiam & conſenſum ſeſe invicem ultro decipiant, cum venditor laxat & remittit aliquid de pretio, quod deſtinaverat, emtor vero prius oblato adjicit, idque commerciorum uſus & neceſſitas patitur, neque eſt legi; & rationi naturaliter repugnans, nec contra juſtitiæ commutativæ regulas Dn. D. Struve *cit. loc.* & ſumma allegatarum legum eſt, quod in emtionis contracta eam tantum

tum

tum deceptionem toleremus, quæ dolo caret, licet damnum aliquod modicum emtoris contineat, atque ipsa quoque interdum fraus in jure appelletur *l. 7. §. 10. ff. d. pact. l. 33. ff. ex quib. caus. major.* & quidem eatenus toleramus, nisi fraudatio excedat dimidiam partem justi pretii. D. Dinnerus *in commentat d. justo rerum pretio definiend. quæst. 1. in fin.*

THES. II.

Quamvis conventio det legem contractui, & quod ab initio meri fuit arbitrii, ex postfacto in necessariam convertitur præstationem *l. 17. §. 3. ff. commod.* ut propterea LOCATOR ejusque heres obligetur usum reconductori concedere *l. 15. pr. ff. locat cond.* usque ad tempus determinatum *l. 32. C. eod.* quæ tamen assertio procedit, si quis temere & absque causa a pacto recedere fidemque fallere velit; Non tamen si justa causa subsit, quæ conductore etiam invito contractum dissolvit. Hinc si propriis usibus necessaria res est locata, locatio conductio dissolvi potest *per l. 3. C. d. locat. cond.* Dn. Struvius *in syntagm. J. C. exercic. 24. th. 12.* Eckolt. *in comment. ad ff. tit. locat. §. 8.* propria enim charitas incipit a seipsa. Harprecht *ad §. ult. Just. d. locat. cond. n. 7.* ibique Schneidewin. *n. 9.* Debet autem supervenire casus ille necessitatis ex postfacto *arg. l. 11. §. 8. ff. d. interrog. in jur. faciend.* Ut quia alia domus locatoris corruit, vel locator uxorem duxit, alias si tempore locationis ejusmodi casus præsens fuerit, locatio neutiquam dissolvitur, Accurs. *in d. l. 3. C. loc.* Si itaque probaverit locator illam necessitatem, expellere potest conductorem, ita tamen, ut autoritas judicis interveniat, ne tumultui detur occasio,

si locatori jus suum sine judice consequi concedatur *arg. l. 176. ff. d. R. J. l. 3. C. d. pignor.* D. Carpzov. *p. 2. const. 37. d. 6.* & ita responderunt JCti Lipsienses: Ob wol euer Väterliches Gut Brosien Ulmannen auf 3. Jahr lang pachtweise eingethan worden, dieweil ihr aber dennoch Euch nunmehr verehliget, und berührtes euer Väterliches Gut selbsten zu euer und euers Weibes Nothdurft gebrauchen wollet, so ist der Conductor euch dasselbe, ungeacht, daß die Pacht-Jahre sich auch zur Zeit nicht geendiget, abzutreten wiederum schuldig V. R. W.

THES. III.

Depositarium præter dolum & culpam latam nihil præstare (nisi aliter conventum sit) §. 3. *Inst. quib. mod. re contrab. obl. & l. 1. §. 5. ff. d. obl. & Act.* manifeste nos edocent. Quapropter depositarius orto incendio & ubi periculum est in mora, si res tam Deponentis quam Depositarii utræque salvæ esse nequeant, propter amorem sui, imprimis cum dolus absit, nec, in viro bono præsumatur talis, res suas rebus deponentis præferre potest, Magn. D. Struv. *exerc. 21. th. 37.* injustum enim esset, si depositarius, qui præter fidelitatem nihil recepit, ad solvendum tenetur; ideo si periit res, non tenebitur, non ratione rei, quia non extat, nec locupletior factus est depositarius, nec ea ratione, quod acceperit, quia accipiendo beneficium non accepit, sed dedit, Hugo Grotius *d. jur. bell. & pac. l. 2. c. 12. §. 13.* Sicuti autem memini officium debet esse damnosum, ita nec depositario; Et quamvis in deposito diligentia consideretur in concreto, ideoque adhibenda talis sit, qualis

lis rebus propriis, non minor *l. 32. depositi.* Hoc tamen fieri debere dicimus regulariter, quando autem necessitas adest & par malum imminet, nobis potius debemus prospicere, quam aliis. Hug. Grotius. *d. jur. bell. & pac. l. 1. c. 3. §. 3. n. 3.* ordinata enim caritas incipit a seipsa. Caroc. *tract. d. deposit. p. 2. qu. 2.*

Thes. IV.

Quando quis alteri rem commodavit, commodantis est præscribere modum utendi; sed quando res commodata est, non potest mutare consilium, quod enim initio est voluntatis, id postea fit necessitatis Carpz. *p. 2. c. 37. d. 16.* & nos adjuvari non decipi oportet Brunnem. *ad l. 17. §. 3. ff. commodat.* Nisi ipse commodans ceu dominus inopinatum aliquod & ante non prævisum damnum incurreret, re sibi non statim restituta, eo casu rem commodatam etiam nondum finito usu restituere debet commodatarius Magnif. Struve *in syntagm. jur. civil. exerc. 19. th. 8.* Zæsius *ad ff. tit. commodat. n. 20.* Quid autem? si & commodans & commodatarius simul opus habeant v.g. equo, cujus conditio melior erit? & videtur dicendum commodatario incumbere statim restituere equum, quia creditor equi dominium habet, alias perinde esset ac si debitor creditorem equi possessione privaret. Verum cum ex *l. 2. ff. ad L. Rhod. d. jact.* constet, quod in extrema necessitate omnia quoad usum sint communia, commodatario non videtur vitio verti, quod equum detineat, nam qui jure suo utitur, nemini facit injuriam, nec possum dicere debitorem creditorem privare hac in re possessione; huc quoque facit, quod in communi periculo possidentis conditio semper

melior esse censeatur, & caritas incipiat a seipsa, nemoque tam stolidus erit, quin proprium carnem oderit, quod sane faceret, si equum statim redderet, nec periculum eo ipso evitaret. Si vero eluctatus fuerit e periculo, non tantum rem acceptam domino restituere, sed etiam gratitudinis loco honorarium pro præstito beneficio offerre merito obstrictus Balduin. *d. casib. consc. lib. 4. c. 17.*

THES. V.

Qui alicujus negotia in se suscipit, omnem sane videtur promittere diligentiam, & curare ea, uti decet bonum patremfamilias, neque hujus quasi contractus natura aliud svadet; qui enim sponte sua res in se suscipit, videtur hoc facere ex jure amicitiæ, quod si ita se non gesserit, absenti competit adversus illum actio negotiorum gestorum §. *1. Inst. d. oblig. quæ quasi ex contract.* ut suæ administrationis reddat rationem, & eo nomine condemnetur in id, quod vel non, ut oportet, gessit *l. 2. ff. d. neg. gest.* vel dolo aut culpa commisit *l. 23. ff. d. R. I.* Sin autem res propriæ perirent, si simul absentis res curaret negotiorum gestor, num Domini negotia relinquere, & propria curare possit? Respond. Si in simili periculo sint res Domini & negotiorum gestoris, hic potest res proprias rebus Domini præferre; idem enim juris est quoad hunc quasi contractum, in quo regulariter culpa levis præstatur, vid. Dn. Præses *in Colleg. ad l. 23. d. Reg. Jur.* quam in aliis; propria siquidem caritas incipit a seipsa, et nemo videtur id concedere, quod sibi damnosum aliquando esset.

THES.

THES. VI.

Tutela quidem munus publicum est, et tutor etiam invitus dari potest & cogi *l. 8. C. d. Decurion.* admittit tamen excusationes *t. t. Inst. & ff. de excusat. tutor.* inter quas legitima est *Polypedia* seu pluralitas liberorum, ita ut si quis *Quinque* liberos habeat in provinciis, *Quatuor* in Italia, *Tres* Romæ excusetur, quia licet personæ principaliter detur tutor, per consequentiam tamen onere rerum administandarum gravatur, ipse vero domi si habeat quod agat, & cum ordinata charitas incipiat a se ipsa, æquissimum est, propter favorem & amorem propriorum liberorum ipsum excusari; modo liberi sint justi vel superstites, vel perierint in acie *l. 2. §. 3. 4. ff. d. excus. lut.* hi enim, qui pro Republica ceciderunt, in perpetuum per gloriam vivere intelliguntur *pr. Inst. d. excus. tut.* vel adsint nepotes ex filio hoc mortuo *l. 2. §. non solum ff. d. t.* Schneidewin. *ad d. pr. Inst. n. 6. in* Philippi *usu practic. Instit. lib. 1. eccleg. 90.* & ita responderunt JCti Lipsienses anno 1664 So mag sich gedachter G. solcher Vormundschaft nicht entbrechen. Es hätte denn derselbe die zu Rechte erforderte Zahl der fünf Kinder vorzuschützen damit wurde Er billich gehöret, und mit der angetragenen Vormundschaft verschonet V. R. W. Eodem pertinet excusatio propter tria onera tutelæ, quæ largiuntur vocationem a quarta *l. 2. §. ult. l. & seqq. ff. d. excus. tut.* Et quam vis favor pupilli simul subsit, ne res segnius administrentur ab eo, qui multis negotiis est oneratus, favor tamen tutoris præponderare videtur, ne is negotiis alienis nimium oneretur, charitas enim ordinata rerum gubernan-

darum incipit a seipsa Rittershus *ad §. 5. Inst. d. excusat. tut.* Nil autem interest, sive hæc tria onera tutelæ sint simplicia, ut tres tutelæ vel curæ, sive mixta una tutelæ aut una cura, aut econverso. *l. 2. §. ampliatur ff. d. t.* Schneidewin *ad d. t. Inst. §. 5.* modo non sint levia & exigui patrimonii neque affectata *d. §. 5. Inst.* nullum enim affectatum dicitur onerosum, nec æstimandus est numerus tutelarum ex pluralitate pupillorum, sed potius ex diversitate patrimoniorum; imo occidit interdum, ut unica tutela ad excusationem sufficiat, si videlicet tam negotiosa sit, ut pro pluribus sufficiat, id quod ex patrimonii quantitate æstimandum est, uti constat ex *l. 31. §. fin. d. excus. tut.* Philipp. *d. l.* & ita responderunt Lipsienses anno 1635. Hat der Rath zu Mitweida, nach Absterben Peter Hermanns, Daniel Erharts, und Hansen Sattlers, dero allerseits unmündigen Kinder Euch zum Vormunden verordnet; Und Ihr habet solche drey Vormundschaften nachmals auf Euch, und seyd derselben keiner noch nicht entlediget. So Ihr nun zu solchen deren Vormundschafften Euch nicht selbsten angegeben, So möget Ihr mit Hansen Arndtes Kinder und also der vierdten Vormundschaft wieder Euren Willen, noch zur Zeit nicht beleget werden ꝛc.

Thes. VII.

Quamvis quilibet civis eo alloborare debeat, ut proximi salutem una cum sua observet; quando tamen propria salus periclitatur, faciendum est aliquid propter necessitatem, quod alias de jure fieri non posset; justissima enim censentur, urgente durissimo necessitatis telo,

telo, quæ alias injuſtiſſima ſunt, per ſupra dicta, & quæ pulchre declarat Bodin. *5. d. Republ. c. 5.* Hinc quando incendium oritur, vicini ædes diruere poſſumus, quando eo malo ædibus noſtris conſulitur, *l. 3. ff. d. incond. ruin.* ita ut vicinus nullam adverſus deſtruentem habeat actionem, neque ex interdicto, quod vi aut clam, damni injuria dati, Legis Aquiliæ, nec non ex Edicto de incendio, ruina, naufragio, cum ex amore rerum noſtrarum conſervandarum talia agamus, nec faciamus injuriam, quando nos tueri volumus, cum aliter non poſſumus *l. 3. §. pen. ff. d. incend.* Berlich. *part. 5. concl. 25. n. 125.*

Thes. IIX.

Sabbathum eſſe ſanctificandum, juris moralis, divini ac civilis eſt; ut proinde illi, qui ordinaria vocationis ſuæ opera faciunt in Sabbatho aut diebus feſtis vel ex nimia avaritia vel ſimili cauſa, graviter peccent *Exod. 20. verſ. 10. l. 3. & 8. C. n. feriis.* Aſt cum leges quædam DEI generaliter prolatæ tacitam interdum habeant exceptionem in caſu ſummæ neceſſitatis Grot. *lib. 1. c. 4. n. 7.* dicendum eſt, quod ſi die Sabbathi tempore meſſis rara ſit ſerenitas, liceat propter amorem frugum ad conſervationem vitæ & corporis & honorem DEI conſumendarum colligere fructus, nam ea quæ ex neceſſitate inevitabili fiunt, excuſari poſſunt; triplici autem opera Sabbatho conceſſa demonſtrat Balduin. *in caſib. conſc. lib. 1. c. 13. caſ. 4.* opera ſcil. Neceſſitatis, Pietatis & Chritatis. Quomodo Salvator noſter ipſe in hoc caſu diſpenſat vid. *Marc. 2. verſ. 26. & 27.* Hinc Alexander Papa permittit *c. 3. X. d. feriis* halecia terræ ſe appropinquan-

quantia diebus festis vel Dominicis ingruente necessitate capere; Ne semel amissa hac occasione, per integrum annum non iterum illa nanciscantur add. *c. ult.* add. Tholos. *ib. 2. c. 22.*

THES. IX.

Quæ autem de *privatis* hominibus dicuntur, ea ad *Publicas* personas, *Principes* intellige ac *Respublicas*, suo modo extendi possunt. Nam bona Coronæ & Domanialia alter sangvis sunt Imperantium. Et quamvis Princeps subditorum bonis inhiare non debeat, neque enim plenitudo potestatis, de violenta ac Tyrannica, sed de justa, legitima ac rationali intelligi debet Francus *in l. 11. ff. d. R. I.* Dn. Præses *ad cand.* urgente tamen necessitate pro conservatione sui Status bona quædam quorundam privatorum divitum, licet cum ipsorum detrimento ad publicum usu applicare potest. Publicæ enim utilitatis ratio semper habenda est potior, etiam cum aliquo privatorum incommodo Bocer. *d. jure collect. c. 6. n. 34.* imo Princeps subditis suis bona integraque prædia aufferre, & ad conservationem universi accommodare Borxhorn. *disquisit. polit. 3.* & si muniendi oppidi causa necessario muri ducendi, fossæ, aut viæ publicæ aperiendæ, aut fora construenda & amplicanda, privato agro, insula aut fundo opus sit, Princeps a subditis etiam invitis eadem sumere potest. Magnif. D. Struvius *in elegantiss. dissert. d. facultate utendi reb. alter. in casu urgentiss. necess. th. 10.* Anton. Gometz *tom. 2. commun. var. resolut. jur. c. 2. n. 51.* Petr. Ant. de Petra *de jure quæsito per Princip. non tollend. c. 32. sect. 5. n. 13.* potest marte dominante pro conservatione civitatis integra suburbia diruere

ruere & comburere. Gail *lib. 2. obſ. 56.* Ita Galli obſeſſo a Cæſare Mediolano, adhortante Gritto Veneto, neceſſaria ſed miſerabili prorſus ratione ſuburbana ædificia incendebant, ne his ad ponenda caſtra uteretur Cæſar, & propius & tutius tegentibus tectis muro ſuccederet. D. Struv. *d. l. th. 11.* ubi theſibus ſequentibus plures caſus lectu dignos habet, quos huc omnes referre anguſtia paginæ iterque inſtans prohibet, addatur laudatiſſimus Dn. Profeſſ. Velthem *in introduct. ad Grot. d. jur. bell. & pac. lib. 2. qu. 3. pag. 656.* ubi ſolide demonſtrat, quod ſalvo jure naturæ contra directam domini voluntatem poſſimus re aliena uti, vel etiam illam auferre.

THES. X.

Jam ad defenſionem rerum deveniendum eſt. Non ſolum amor ſui permittit defenſionem vitæ ac corporis, ſed etiam poſſeſſionem rerum noſtrarum tueri, & vim illis illatam, inculpatæ tutelæ moderatione, repellere atque propulſare licet, *per text. in l. 1. C. unde vi l. 17. ff. d. vi & vi armat.* Ordnung des Landfriedens zu Worms anno 1521. tit. von Zorn aller Friedbrecher. verſ. aber den Beſchädigſten. ibi: Seine Gegenwehr und Verfolgung zuthun. Joach. Mynſing. *centur. 1. reſp. 18. n. 1.* quod procedit tam in rebus corporalibus, quam incorporalibus Aym. Gravett. *conſil. 4. n. 6. & 7. tom. 1.* Erneſt. Cothmann *lib. 1. reſponſ. 38. n. 16.* ubi ſervitutes & alia jura, proprio marte & autoritate propria contra impedientem defendere licere ex *l. 1. §. illud tamen. 15. ff. d. aqu. quot. & æſtiv. & l. 7. §. 3. item ex l. fin. §. 2. ff. quod vi aut clam* addatur Kirchof. *inter conſil. varior. jur. conſult. vol. 3. conſ. 27. n. 5.* Damhaud *in practic. crimin. c. 78. n. 1. & ſeq.* Hinc ſi quid in noſtro vi aut clam ædificatum vel factum eſt, id vi aut clam deſtruere poſſumus

mus *l.* 7. §. 3. *quod vi aut clam. l.* 29. §. 1. *ad L. Aquil.* Dn. D. Struvius *in tr. d. vindict. privat. cap.* 6. *aphor.* 7. & creditor debitorem fugientem & secumferentem pecuniam sistere, & quantum debet, ei auferre potest. *l.* 10. §. 16. *quæ in fraud. credit.* & contra metatorem injuste alicujus prædium accedentem privatæ ultionis arbitrium & expellendi facultas concessa. D. Struve *c. l. aph.* 9. & 10. Ista ergo rerum tuitio contra injustam vim etiam cum interfectione invasoris, non quidem simpliciter, sed tum demum concessa est, quando simul & corpus possidentis petitur & offenditur, Scaccia *tract. d. judic. rer. civil. criminal. & hæretic. lib.* 2. *c.* 2. *n.* 183. Vasquius *tract. d. succeff. lib.* 1. *in præfat. n.* 23. & *seqq.* Francisc. Zoannet *tr. de defens. tripartit. p.* 1. *n.* 41. quæ sententia distinctionem admittens, præ alia, quæ simpliciter invasorem rerum posse occidi statuit, sanior est, quia omnia jura, quæ cædem defensionis gratia commissam probant, de hominum, non vero rerum defensione loquuntur *l.* 5. *in pr. ff. ad L. Aquil. l.* 4. *C. ad L. Cornel. d. sicar. c. interfeciti* 2. *X. d. homicid.* erubescimus autem sine lege loqui *Nov.* 18. *c.* 5. *in pr.* deinde, idem de rerum ac hominum defensione statuere velle, nimis durum est. Vita enim hominis nisi in continenti defendatur, semel amissa recuperari nequit: res vero ablatæ actionibus & interdictis repeti possunt, & vita hominis quibuscunque rebus, etiam pretiosissimis, præferenda est *l.* 21. *in fin. C. d. SS. Ecclesiis l.* 44. *ff. d. Ædil. edict.* cum res non per se, sed hominum gratia comparatæ sint, *arg. l.* 28. *in fin. ff. d. usur.* quam sententiam comprobat etiam Pontifex Alexander III. *in c. suscipimus* 10. *X. d. homicidio* & faciunt huc textus juris civilis *in l.* 9. *ff. ad L. Cornel. d. sicaris l.* 4. §. 1. *l.* 5. *in pr. ff. ad L. Aquil.* ubi fur non aliter, nisi mortis adsit periculum, jure occidi potest Ludov. Carer. *in*

pra-

practic. crimin. Obrecht. *in tract. d. neceſſ. defenſ. c. 8. l. 25. §. tabernarius ff. ad L. Aquil.* ubi tabernarius, cui lucerna fuerat ablata, non potuit jure cædere auferentem, aut ei licite effodere oculum, niſi prior ab auferente vapulaſſet, addatur ex jure Canonico *c. interfeciſti 2. ibi: te tuaque liberando* quæ verba copulative intelligenda ſunt, Harprecht *in tract. crimin. §. item Lex Cornel. n. 172. & ſeqq. d. public. judic.* adde D. Linckii JCti Altorphini *diſſert. d. Internecione furis tum Diuturni tum Nocturni.*

CAPVT V. ET VLTIMVM. QVIBVS MODIS PHILAVTIA CESSET, VEL MINVATVR.

THES. I.

Hactenus de Philautia quatenus aliquid facit quod, vel laudem meritur vel nullam vel extraordinariam meretur. Jam pœnam, brevibus videre lubet, quibus ferme modis vel plane ceſſe, vel minuatur, ſeu vires ſuas plane exerere non valeat, vel reprehenſibilis ſit. Et cardo in eo poſitus videtur, quodquis ex amore ſui aliquid peragere nequeat, quod cum detrimento proximi conjunctum ſit, ex malo propoſito propullulans vel contra pietatem, pudicitiam vel bonos mores venientia arripiat media. Scilicet in capite II. dictum eſt, quod ad conſervationem vitæ in caſu extremæ neceſſitatis liberos poſſit vendere pater; Ceſſabit tamen Philautia, ut Pater filias proſtituere & libidini exponere non poſſit, ut ſe conſervet vel expreſſæ enim leges tam divinæ, quam civiles talia ſerio prohibent; tremenda ſane vox eſt ad *Galat. 5. verſ. 21.* fornicatio opus carnis eſt, excludens hominem e regno DEI; Quam ob cauſam DEVS maſculos Sichemitarum interfecit? quid cauſæ eſt, ob quam

DEVS extinxit primum mundum diluvio? non alia, quam libido. Dicis: Lothum voluiſſe filias ſuas exponere, *qui tamen vir fuit ſanctiſſimus Geneſ. 19. v. 4.* Reſpond. Quamvis ſint, qui factum illud Lothi laudant, & Chryſoſtomus *homil. 42. in Geneſi* factum illud Lothi prædicat, tanquam virtutem ipſa hoſpilitate majorem, laudat quoque illud Ambroſius *lib. 1. d. Abrah. c. 6.* Auguſtin. *lib. d. mendac. c. 7.* Cajetanus *in d. c. 19. Geneſ.* ſic differit: Loth obtulit filias ſuas Sodomitis animo non redimendi flagitium flagitio, ſed placandi hyperbolica ſubmiſſione populum: putabat enim & rationabiliter, quod populus non acceptaret talem oblationem. Verum ex B. Gerhardi commentar. *in Poſt. Epiſt. Petr. c. 2. qu. 19 p. 231.* Lothum hac in parte omnino peccaſſe, nec jure laudandum eſſe dicimus, & ipſe Auguſtinus *qu. 42. in Geneſ.* hoc improbum factum eſſe aſſerit; quamvis Lothus bonam intentionem habuerit, ut nimirum Sodomitas coerceret, & hoſpites a nefario flagitio immunes ſervaret, & quamvis etiam fornicationem non ſvaſerit, ſed Sodomitis libidine flagrantibus filias tantum obtulerit, non tamen ſunt facienda mala culpæ minora, ut vitentur majora. vid. Frider. Balduin. *comment. in Epiſtol. ad Roman. c. qu. 8. p. 55.* qui fuſe hanc materiam pertractat, & tandem in eo eſt, ut dicat, Lothum hoc non feciſſe malitia, ſed inopia conſilii.

Thes. II.

Quamvis quilibet ſeipſum ita amat, ut quovis modo vitam ſuam ſibi ſervet, de quibus ſupra dictum, neque membrorum ſuorum Dominus eſt, ut ſeipſum interficiat; Si tamen a judice juſte ſit condemnatus ad mortem, ita, ut ſententiam mortis in ſeipſo exequatur, ceſſat amor ſui, & ſalvo jure naturæ ſe loco carnificis ipſe occidit, non enim id voluntarie, ut ἀυτόχειρ evadat, ſed juſſu ejus, qui autor pœnæ eſt, nempe Magiſtratus, id facit; neque enim

enim intereſt per quemcunque tandem executio fiat, Excellentiſſ. Dn. Velthem *in introduct. ad Grotium d. jure b. & p. lib. 2. qu. 4.*

THES. III.

Si unquam circa amorem ſui peccatur, illud conſpicere licet in *Duellis*. Vitioſæ enim Philautiæ trita eſt conſuetudo, ut potiorem lucri, honoris & voluptatis corporeæ partem ſibi vendicet *9. Nic. 8. 16.* cum in ore ferme omnium verſetur, quod *vita & fama pari paſſu ambulent*, idque non ſolum in jure civili eſſe fundatum, uti appareret *ex l. 9. pr. ff. d. manumiſſ. & l. 4. C. d. malefic. & mathem.* nec non in jure Saxonico, quod colligunt ex *Conſtitut. Elect. Auguſt. p. 2. Conſtit. 42.* ibi: Es haben auch erbare Leute das Leben und die Ehre gleich geachtet, und beſchwerlicher denn Leibes-Beſchädigung gehalten. Vt proinde, ſicuti pro defenſione vitæ, licitum eſt alterum occidere, ita etiam pro defenſione famæ aut exiſtimationis alterum, quime obtrectatus eſt poſſim interficere, quod affirmant Dicaſtillo *d. juſt. & jure lib. 2. tr. 1. diſp. 10. dub. 7. n. 79.* Franc. amicus *tr. 5. diſp. 36. n. 118.* Sanchetz. *oper. moral. in Decal. lib. 2. c. 39. n. 7.* Diana *tom. 8. tr. 5. reſ. 2. n. 2.* Molina *tom. 4. tr. 3. diſp. 17.* Vaſquius *controv. illuſtr. lib. 1. c. 18. n. 13.* Baldus ac Jaſon *in l. 3. ff. d. Juſt. & Jur.* Aſt quicquid horum ſit, cum Dn. Profeſſ. Velthemio *in introd. ad Grot. lib. 2. qu. 7.* dicimus, pro fama ſalvo jure naturæ neminem poſſe occidi. Nam licet non incommode ac ſuo modo defenſio famæ ſit moderamen inculpatæ tutelæ ac juris naturæ, tamen ſicuti gradus injuriarum ſunt, ita gradus defenſionum eſſe oportet, adeoque prorſus inæqualia ſunt injuſta læſio famæ & mors injuſte lædentis famam. Nec unquam ſane deeſt occaſio aliter ſeſe defendendi adverſus aggreſſorem famæ, unde interfectio non eſt modus aptus ad tuendam famam. Et falſum eſt, vi-

tam & famam ſemper pari paſſu ambulare, quam in rem erudite diſſerit Dn. Thomaſius *in diſſertat. d. Duellorum var. gener. moralitat cap. 5. §. 8.* Certe, inquit, ſi famam eo ſenſu intelligas, quam illud hominum genus militare imaginatur, vel minimam offenſam gladio ulciſci glorioſum non ulciſci, aut provocanti non obſequi infame cenſens. Non vera hæc, ſed falſa gloria eſt, non ſolida, ſed apparens fama, quam nemo ſobrius, non dicam exæquarit vitæ, ſed aliquo loco nominandum judicaverit. Quod ſi famam interpreteris opinionem de vera non imaginaria virtute, ne quidem ſic intellecta fama paria faciet cum vita. Vita ſemel amiſſa reparari non poteſt; fama innocenter corrupta (talem enim qui duello confligunt præ ſe ferunt, nec alia hujus eſt loci) poteſt, Balduin. *lib. 4. caſ. conſc. c. 1. caſ. 12.* Et ſi maxime famam æquipares vitæ, nondum tamen, quod iſti volunt, ita indiſcrete ſequitur, ut ſervandæ famæ cauſa *quovis modo* exponenda ſit periculo vitæ. Non ergo vindictæ privatæ indulgendum eſt, quando ſuppetit remedium juris *l. 19. C. d. judæis.* Bocer. *lib. 2. d. duello cap. 8.* & huic ſententiæ adſtipulantur magni JCti D. Struve *d. vindict. privat. c. 4. aph. 2. n. 12.* Ludwel. *exerc. juſtin. 18. th. 5. lit. d.* Bachov. *ad Treul. vol. 2. diſp. 2. th. 6. lit. 8.* Kremberg. *d. defenſ. neceſſ. qu. 8. n. 17.* Obrecht. *d. defenſ. neceſſ. c. 9. n. 7. & c. 11. n. 34.* Ex quibus ſequitur: Ad duellum vel certamen maledicis & injurioſis verbis provocatum, provocandi honoris ſui defendendi cauſa comparere, & ſi compareat, provocantem impune occidere non poſſe; adhibito tamen diſtinctionis fœdere. Aut enim provocatus in ædibus aliove tuto loco commoratur, & tunc nec comparere, nec evocantem occidere licet; quia verbalis injuria armis repelli non poteſt, *l. 25. ff. d. procurat.* & quia nullum adeſt vitæ periculum, cum ſeptis ædium ſatis defendatur Donell. *ad l. 1. C. und. vi.* Aut non commo-

ratur

ratur in tali loco, ſed ſibi obvium habet evocatorem; & tunc videndum, an evocatio fiat verbis & facto ſimul; an verbis tantum. Illo caſu, ſi qui te verbis evocat & ſimul inde cum armis irruit, jure non ſaltem vim vi repellis, verum etiam, ſi aliter mortis periculum effugere nequeas, evocantem impune occidis *l. 45. §. qui cum aliter ff. ad L. Aquil.* Hoc vero caſu, nec per vim te defendere, multo minus evocantem interficere poteſt: Obrecht. *d. tr. c. 11. n. 30.* ubi eleganter probat, evocatum nec pro forti habendum, ſi evocatorem ſequitur: nec timidum & effœminatum eſſe, ſi non ſequatur *n. 69 & 70.* Virgili Pingitzer. *in illuſtr. quæſt. Saxonic. 59. per tot.* Notandum tamen eſt, licet non tantum provocans, ſed & provocatus, alterum in Duello occidens homicidii pœnas non effugiant, id tamen fieri diſcrimine habito, ſcil. Provocantem ordinaria mortis pœna plecti, Franzk. *reſol. 23. n. 5.* Provocatum vero extraordinaria affici pœna. D. Richter. *deciſ. 2. n. 6.* quia provocans provocanti ad perpetrandam cædem anſam præbuit *l. 52. §. tabernarius ff. ad L. Aquil.* ergo ignoſcendum ei, qui provocatus ſe ulciſci voluit. *l. 14 ff. de bon. libert.* nec in provocato præſumitur dolus & animus occidendi, ſed defenſionis neceſſitas *c. 1. §. ſi quis hominem de pace tenenda & ejus viol. in uſib. feud.* cum iracundiæ calorem comprimere difficillimum ſit *l. 38. §. Imp. 8, 8. ff. ad L. Jul. d. adult.* & inconſultus calor dolo careat *l. 1. §. 5. ff. d. SC. Turpill.* nec ira incenſus poſſit habere ſtateram in manibus, & verbera aut vulnera dare & infligere ad menſuram, vel ſi ad æquilibrium tueri Bald. *in l. 3 ff. d. juxt. & jur.* & juſtus dolor factum relevat. *l. 4. C. ad L. Jul. d. adult.* Quid in terris Electantus Saxonici obtineat, vide *Reſolutiones gravaminum provincialium d. anno 1661.* dicta rubr Policey-Ordn. tit. von unhöflichen Unberichten auch von unchriſtlichen Ausfordern und Balgen 7. §. nachdem hierüber 5. quas lege ſis apud Philipp.

in

in uſ. practic. Inſtit. lib. 4. eccloq. 14. quæ de defenſione rerum cum armis dicta ſunt, vide in præcedenti *cap. th. 10.* Quod alapam alicui inferentem non licear occidere vide D. Strykii *diſſert.* de *Alapa.*

THES. IV.

Tutor res liberorum ſuorum rebus pupilli præferre non debet, Chaſſan. *tit. des enfans, des pluſieurs lict. §. 4. in verb. maintenir en bon & ſouffiſant eſtat n. 1. & 2.* modo res tutoris liberorum non ſit pretioſior vel par, quo caſu locus gratificati eſſet debet, ut tradit Franc. Curt. Jun. *cenſ. 29 n. 19.* Imo tutor defendere debet pupillum, etiam quando tutoris liberi contra ipſum agunt, Gell. *lib. noct. attic. c. 3.* & ibi Petr. Moſellanus *in annotat.*

THES. V.

Paſtor animarum ſemper vigilet pro iis, quibus præeſt, propriamque ſalutem temporalem poſtponat ſaluti æternæ ſuarum ovicularum, nec metu ab iſta cura abſtineat, unde metuens ægrotos ſacramenta per alium mittere nequit petenti, quia agit contra officium boni paſtoris, cujus eſt, ut ipſe Sacramentum adminiſtret, Balduin. *caſib. conſc. lib. 4. v. 7.* Neque ſi periculum imminet, propter hoſtes religionis in eadem civitate ſalva conſcientia ſuos Parochiales deſerere poteſt Bald. *comment. in epiſt. Paul. ad Theſſal. c. 2.*

THES. VI.

Generaliter dicendum eſt, Amorem ſui non debere conjunctum eſſe cum *dolo malo.* Sic ſtratagemata illa forenſia, quæ pro promovenda juſtitia & injuriis repellendis adducuntur, non ſunt damnanda, *c. 23 qu. 2.* Aſt cavillationibus vel malis ac illicitis cautelis eſſe utendum, jura improbant Dn. Struve *Synt. jur. civ. ex. 7. th. 8.* quia omnis fraus & dolus juſtitiæ & caritati adverſatur, nec amor ſui id efficere valet, ut juſtitia mendaciis & cavillationibus defendatur, D. Schroeter *in caſib. conſcient. pag. 25.* Et hæc de nobili hacce materia pro ingenii tenuitate conſcripſiſſe ſufficiant. Interea maximopere a B. L. contendimus, velit hoc, quicquid laboris eſt, æqui conſulere, memor: quod in magnis voluiſſe ſat ſit.

(o)



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1795370467/phys_0088
DFG

in uſ. practic. Inſtit. lib. 4. eccleg. 14. quæ de defenſione rerum cum armis dicta ſunt, vide in præcedenti *cap. th. 10.* Quod alapam alicui [illegible]terentem non licear occidere vide D. Strykii *diſſert.* de *Alapa.*

THES. IV.

Tutor res liberorum ſuorum rebus pupilli præferre non [illegible] Chaſſan. *tit. des enfans, des plusieurs licts. §. 4. in verb. mainhon & ſouffiſant eſtat n. 1. & 2.* modo res tutoris liberorum [illegible]etioſior vel par, quo caſu locus gratificati eſſet deber, [illegible]anc. Curt. Jun. *cenſ. 29 n. 19.* Imo tutor defendere de- [illegible], etiam quando tutoris liberi contra ipſum agunt, [illegible]*tic. c. 3.* & ibi Petr. Moſellanus *in annotat.*

THES. V.

[illegible]rum ſemper vigilet pro iis, quibus præeſt, prop[illegible]m temporalem poſtponat ſaluti æternæ ſua- rum o[illegible] metu ab iſta cura abſtineat, unde metuens ægroto[illegible]r alium mittere nequit petenti, quia agit contra of[illegible]toris, cujus eſt, ut ipſe Sacramentum adminiſtret[illegible] *conſc. lib. 4. v. 7.* Neque ſi periculum imminet, pr[illegible]ligionis in eadem civitate ſalva con- ſcientia ſuos P[illegible]rere poteſt Bald. *comment. in epiſt. Paul. ad Theſſal. c.*

VI.

Generaliter dice[illegible]rem ſui non debere conjun- ctum eſſe cum *dolo ma*[illegible]nata illa forenſia, quæ pro promovenda juſtitia &[illegible]endis adducuntur, non ſunt damnanda, *c. 23 qu. 2.*[illegible]bus vel malis ac illicitis cautelis eſſe utendum, jura[illegible]. Struve *Synt. jur. civ. ex. 7. th. 8.* quia omnis fraus &[illegible] caritati adverſatur, nec amor ſui id efficere valet,[illegible]laciis & cavillatio- nibus defendatur, D. Schroeter[illegible]. *pag. 25.* Et hæc de nobili hacce materia pro inge[illegible]nſcripſiſſe ſuf- ficiant. Interea maximopere a B.[illegible] velit hoc, quicquid laboris eſt, æqui con[illegible] quod in magnis voluiſſe [illegible]

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1795370467/phys_0089
DFG